

Harvard College
Library
VE RI
TAS
FROM THE BEQUEST OF
SUSAN GREENE DEXTER

ANNALES

ACADEMICI.

CIƆIƆCCCLV—CIƆIƆCCCLVI.

LUGDUNI-BATAVORUM,

EX TYPOGRAPHEO J. C. DRABBE. | PROSTAT APUD E. J. BRILL.

1859.


HARVARD
UNIVERSITY
LIBRARY
May 1959
Dexter

Quae hoc annalium volumine continentur, haec sunt:

ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA.

ACADEMIA RHENO-TRAIECTINA.

ACADEMIA GRONINGANA.

ATHENAEUM AMSTELODAMENSE.

ATHENAEUM DAVENTRIENSE.

ACADEMIA

LUGDUNO-BATAVA.

NOMINA PROFESSORUM ET LECTORUM,

QUI

INDE A D. VIII FEBR. MDCCCLV AD D. VIII FEBR. MDCCCLVI

IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA

DOCENDI MUNUS OBIERUNT.

RECTOR MAGNIFICUS

SIMON VISSERING.

SENATUS ACADEMICI ACTUARIUS

IOHANNES DE WAL.

IN FACULTATE IURIDICA.

S. VISSERING.
H. G. TYDEMAN, Prof. emeritus.
C. I. VAN ASSEN.
H. COCK.
I. DE WAL.

IN FACULTATE THEOLOGICA.

W. A. VAN HENGEL, Prof. emeritus.
N. C. KIST.
I. H. SCHOLTEN.
A. NIERMEYER. (Obiit d. 10 Aprilis 1855.)
A. KUENEN, primum Prof. extraord., deinde ord.
I. I. PRINS, Prof. ord., qui d. 7 Decembris 1855 munus auspicatus est.

IN FACULTATE DISCIPLINARUM MATHEMATICARUM ET PHYSICARUM.

I. VAN DER HOEVEN.
A. H. VAN DER BOON MESCH.
G. I. VERDAM.
F. KAISER.
G. H. DE VRIESE.
P. L. RYKE.

IN FACULTATE PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET LITERARUM HUMANIORUM.

I. M. SCHRANT, Prof. emeritus.
I. BAKE.
A. RUTGERS.
T. G. I. IUYNBOLL.
I. H. STUFFKEN.
C. G. COBET.
R. P. A. DOZY, Prof. extraord.
M. DE VRIES.

P. O. VAN DER CHIJS, titulo Prof. extraord.

IN FACULTATE MEDICA.

C. PRUYS VAN DER HOEVEN.
G. C. B. SURINGAR.
F. G. KRIEGER.
A. E. SIMON THOMAS, Prof. extraord.
H. HALBERTSMA IUST. FIL., Prof. extraord.

I. A. BOOGAARD, in Theatro anatomico Prosector.

LECTOR.

C. A. X. G. F. SICHERER, Lector German. Literarum.

SIMONIS VISSERING

ORATIO

DE

CONDITIONE PATRIAE ET MORIBUS BATAVORUM SAECULO XVII°
IN GUILIELMI TEMPLII LIBRO „OBSERVATIONUM" NOTATIS,

HABITA

DIE VIII FEBRUARII MDCCCLVI,

QUUM MAGISTRATUM ACADEMICUM SOLENNI RITU DEPONERET.

ACADEMIAE L. B. CURATORES, VIRI AMPLISSIMI, QUIQUE HIS AB ACTIS ES, VIR CONSULTISSIME.

COLLEGAE HONORATISSIMI, CONIUNCTISSIMI.

QUI IURI DICUNDO, CIVITATI REGUNDAE, SACRIS ADMINISTRANDIS PRAEESTIS, VIRI INTEGERRIMI, GRAVISSIMI, PLURIMUM VENERANDI.

QUARUMVIS ARTIUM LIBERALIUM DOCTORES, VIRI ERUDITISSIMI.

ACADEMIAE ALUMNI, ORNATISSIMI IUVENES.

CIVES, HOSPITES, QUOTQUOT PORRO ADESTIS, AUDITORES HUMANISSIMI.

Quicunque e nostro Ordine, coniunctissimi Collegae, Rectoris Magnifici munus obiit, expertus novit, honorificum magistratum non absque aliqua molestia geri. In quibus novissimum nec profecto levissimum est onus habendae coram lecta audientium corona orationis solennis, quum tandem eo perventum est, ut fasces deponantur. — Nam duplex in ea re nobis superanda est difficultas: primum formae, deinde ipsius dicendi argumenti. Formae, inquam; utendum enim nobis est sermone alieno et antiquo, quo sine iustae reprehensionis timore utuntur ii tantum, quibus contingit veterum Scriptorum volumina quotidie versare. Multis quidem vestrum hunc sermonem vix minus familiarem esse ac patrium cognovi: et admiror. Nonnulli autem forte mecum profitebuntur, sese verecunde et dubitanter adeo Latine loqui. Quid mirum? Gallice, Germanice, Anglice a pueris inde docemur; hospites saepe ex istis populis excipimus, quibuscum sua cuiusque lingua humaniter confabulamur; eorum autem librorum, novellarum, diariorumque immensam molem devoramus; vel ipsi feriis aestivis in exteras regiones peregrinantes harum gentium mores, usus,

negotia, studia, sermonem observamus, et, observando, paullulum addiscimus. Tamen, si ad Gallum Gallice, ad Anglum Anglice scribendum est, suboritur scribenti saepe dubium, satisne recte, apposite et eleganter scribat. — Quodsi diserte ornateque coram iisdem perorandum esset, molestior etiam res foret. Quid autem? Audacioresne utemur Romanorum lingua, quippe ad quam ediscendam ista praesidia desunt? — Haud censeo, A. A.

De altera, quam dixi, molestia queri solent fere omnes qui *ex officio* scribere vel dicere ordiuntur; alii penuria laborantes, alii ubertate; illi, aptam se nullam invenire posse materiem, hi nescire sese quam eligant, praedicantes. Quos nimirum cunctos consentientes habebo, si contendero, *argumento* quoque dicendi negotii quid inesse. — Quae autem mihi, hanc Orationem meditanti, maxime occurrebat dubitatio haec erat. Haud adeo molestum existimo, argumentum qualecunque e quotidianis studiis depromere. Sic enim e. g. nequaquam alienum ab hodiernis opportunitatibus foret [1]), in memoriam revocare, quibus belli pacisque artibus saeculo superiore omnis Chersonesus Taurica a Russis subacta sit, quave superbia iam tunc POTEMKIN Taurinensis CATHARINAE II viam ad Constantinopolin stravisse se gloriatus sit [2]). — Sin vero videamur inconsultius res politicas tentare, quibus scilicet summa ope nitendum sit ut neutras partes sequamur, alio oculos convertentibus minus anceps argumentum ex Oeconomiae Politicae disciplina forte occurrat. Res enim animadversione dignissima, quam salutarem haec iam vim et potestatem exercuerit in ius belli ac pacis hodiernum emendandum, quantopere haec gentes vera sua commoda docuerit, iisque persuadeat, in pace nihil satius esse quam libere inter se commercari, in bello autem, parcere mediis et abstinere piratica [3]). — Quin etiam de Statistica adeo eleganter disputari potuerit. Quinquaginta ferme abhinc annis Cl. Antecessor HERMANUS TOLLIUS ex hoc ipso suggestu verba fecit: *de fine Statistices quae vocatur hodiernae* [4]); hodie autem, quoniam mirifice ex eo tempore excrevit ars Statistica, non ornatius quidem, attamen copiosius *de fine Statistices* dicere possimus. — Sed, ne vos plura enumerando morer, subibat mihi, haec et alia multa consideranti, religio, ne forte vestra patientia abuterer. Non placebat, hoc festo die, quo omnes a laboribus vacamus, in hanc quasi alteram cathedram adscendere, ut

equidem, perinde ac quotidie, auditores meos edocerem. Malebam comiter et modeste vobiscum agere de hac illave re, quae omnibus perinde grata et accepta esset, specie tantum argumenti quaesita, quo magis certus dicendi ordo servaretur.

Talem autem quaerentem me adiuvit Fortuna. Incidi enim in venustissimum libellum Equitis Angli GUILIELMI TEMPLE, continentem „Observationes supra Belgio Foederato," primum editum saeculi XVII anno septuagesimo secundo; quem et olim cum magna animi oblectatione legeram et nuper iterum perlegi [5]). Mirum enim in modum auctor lectoris animum demulcet. Urbane et concinne, stylo facili, diligenti, interdum et amplo, res suas enarrat; subinde benigne philosophatur. Mox, eximia benevolentia nostrates persequitur, qualem raro invenias penes exteros, qui de rebus nostris scribere dignantur. Caeterum nemini nostrum ignotum, quam versatus in politicis, quam solers in re diplomatica fuerit TEMPLIUS. Homo denique probus et integer. Hic, cum ad scribendum eum librum, quem dixi, animum appulisset, id suscepti negotii propositum erat, ut popularibus suis imaginem delinearet eius civitatis, quam tanti faceret, quamque fato insuperabili iamiam exstinctum iri putaret [6]). Igitur origines et historias Belgii Foederati descripsit, atque ita, ut nemo clarius; intricatam regiminis formam explicuit, ita, ut vel de nostratibus pauci perinde facere valuissent; denique regionum situm, naturam, opportunitates, incolarum indolem, studia, mores, ingenium, habitum accuratissime depinxit [7]).

Hunc igitur libellum perlustrare hodieque nobisque, etiam post duo fere saecula, cum oblectationis tum utilitatis aliquid afferet. Audiemus TEMPLIUM veracissimum pristinae conditionis patriae enarratorem, quin et statistices doctorem non spernendum. Dicam igitur: *de conditione patriae nostrae et moribus Batavorum saeculo* XVII, *in* GUILIELMI TEMPLII *libro „Observationum" notatis.* Videlicet quae ille de ipsis patriae fatis deque regiminis forma refert, omittemus, ne ad aliud quam de quo agere propositum sit abducamur. Sed non possum non excitare hunc illumve locum, quo pateat potissimum quam penitus ille historiam Reipublicae Batavae cognoverit. Tales volo, quibus memorat viros in ea inprimis conspicuos. Audite, quaeso, quae aptissime de GUILIELMO nostro Primo dicit [8]):

„Vir rei militaris peritus, nec minus civitatis regendae; cautus et cor„datus, affabilis et severus; cedens temporibus, at propositi tenax. Opibus „et clientela pollens in Provinciis, amicis et propinquis per Germaniam; „magni habitus et honoratus apud exteros; sed domi omnibus utique carus „et immensa apud populares fide fruens, quippe qui eum putarent solius „patriae amantissimum, ingenue rem publicam curantem, aptum et pro„num ad defendendam communem omnium libertatem, nec talem, qui „hanc ipse ambitiose inveheret."

Nec minus ornate et digne aequali suo et coniunctissimo amico, IANO WITTIO, flebili modo fato exstincto, his paucis parentatur [9]).

„Vir meliore fato dignus aliamque de civibus gratiam meritus, post„quam per octodecim annos rei publicae incubuerat, commoda sua et „otia nihil, opes parum curans. Vir indefessae industriae, immotae „constantiae, ingenii sani, acuti, capacis, intaminatae autem integritatis; „qui si in qua re lapsus est, erravit in eo quod sincere e re patriae esse „arbitraretur."

Ast alium denique adspicite virum, et WITTIO et vel Priore GUILIELMO praestantem, GUILIELMUM illum Tertium, non huius Belgii Foederati sed omnis Europae libertatis adsertorem [10]).

„Generosus iuvenis, regio quo ortus est sanguine dignus et simul po„pularium virtutibus conspicuus. Taciturnus et meditabundus; audiendi „studiosus et inquirendi; sani ingenii et firmi; magnae constantiae in „nitendo et denegando; impiger ad negotia, ad voluptates segnis; tempe„rantiae, cum iuvenili aetati, tum sub hoc caelo haud communis; mediocri „cultu domestico uti solens, sed ubi opportunitas poscat splendidissimus; „magnanimus et ad armorum gloriam adspirans; ambitiosus, sed ita, ut „non in opprimenda patria, sed in ei serviendo ambitionem collocet. Multis „denique virtutibus ornatus sine ulla vitii specie."

Mementote autem, A. A., ea scripta esse eo ipso anno quo Princeps ille vix vicenarius rem publicam modo capessiverat. Tanta fulgebat iam in adolescente indoles virtutis.

Sed ut ad rem nostram revertar: Primum referam *de conditione Hollandiae*, deinde *de moribus Batavorum*.

Igitur regionis amoenitatem et soli bonitatem non parce extollit TEMPLIUS. Quicunque (ait) [11]) hanc provinciam peragrat et animadvertit, quot et quam propinqua sese excipiant magna et frequentia oppida pagique, quam mirifice ubique rus excultum sit, quantaque hominum multitudo navigando, cum per longinqua maria tum in fluviis, quaestum faciat, ei apparebit, nullum per omnem orbem terrarum esse locum, qui hunc populum numero aequet. — Cuius frequentiae et aliae a TEMPLIO exiguntur causae, et maxime haec [12]), quod eximia regionis pulcritudo, quam, frustra negante natura, effecit civium industria, ingentem quotidie copiam alliciat otiosorum et curiosorum, qui visere hanc provinciam cupiant, etiamsi eam habitare dedignentur. Nam veluti Britannica terra ab ipsa natura exornata est, ita Hollandia splendidis conspicua oppidis ostendit, quid valeant hominum artes.

Haud mirum, nostrum quoque auctorem praedicare Batavos qui „sua „litora fecere, et maria et terras et obstantes domuere Deos [13]).” Spectatum ierat [14]) consulto lacum Bamestra, quadraginta fere annis ante exsiccatum, nunc autem laetissimis pratis virentem, canalibus undique pervium, et viis munitum duplici arborum ordine decoris, unde venustissimus per aestivum tempus hic exstitit tractus, qui uspiam adspici possit. Et ulterius etiam eos olim ituros suspicatur. Est enim in media provincia alius lacus amplissimus, cui nomen Harlemensis; quem facile quoque exsiccari posse perhibent, unde haud exigua agri pars acquireretur regioni, quae nulla re magis indiget, qua alatur ingens illa hominum copia, quibus abundat et pollet. Multum de hoc opere suscipiendo disputatum est: at urbs Leidensis, quae ex hoc lacu salubris aquae copiam in suas fossas petit, nunquam proposito consentiet [15]).

Ipsa autem illa aquarum copia, qua scatet Hollandia, solum felici uligine fecundat quum hieme omnia pontus sunt; dum, vere superveniente, ope molarum facile rursus exhauritur [16]). Neque hoc unicum est lucrum, quod percipitur ex ista regionis planitie qua, quieti maris instar, Hollandia extenditur [17]): nam si spectas fluminum amplitudinem et mirabilem canalium

numerum, quae oppida quaeque pagosque et fere singulas omnes villas nectunt, et per quas innumera vela huc illuc volitantia cernuntur, fere credideris, post longam contentionem, aequor inter et terram dispertitam esse provinciam et vix pauciores incolas in navigiis degere quam in aedibus. Unde eximium et proprium huic loco commodum nascitur mercaturae [18]). Videlicet per unum equum cybea plures transvehuntur merces quam per quinquaginta sarraco; quod multum expedit, quandoquidem (audite quaeso Anglum Oeconomiae Politicae doctorem) vectura pro magna parte est in rerum venalium pretio. Accedit, quod per hanc commodam itineris faciendi rationem vir solers nullum tempus praeripit negotiis; nam in itinere legit, cibum capit et somnum; ditescit autem civitas (animadvertite alterum praeceptum, quod et hodie in Anglorum ore solet esse) quo plus temporis negotiis dare possunt cives.

Aliud denique bonum auctor explicat e putri hac et aquosa soli natura [19]). Hinc enim factum esse, ut viae, tam in ipsis oppidis quam inter singulàs, stratae sint saxis lateribusve: nam usus populorum plerumque e necessitatibus manant.

Caeterum non negat Templius, his bonis et mala quaedam accedere [20]). Saevior hic protrahitur hiems quam in Anglia; ver brevius, nec admodum clemens; aestas subinde ardentior urit. Varium semper coelum, et nec opinato, ut nullibi locorum, cum ipsis ventis mutatur, ita ut lenis et tepida tempestas una nocte in acre transeat gelu, et contra, — perinde ac frigori febris repente succedit aestus.

Maximum autem damnum (ut de aliis taceam) oritur e regionis conditione solique natura hoc, quod humiditas ista tum hominum corporibus tum commodis noceat [21]). Tentantur incolae fere quinto quoque autumno contagiosis morbis praesertim Amstelodami et circa eorum Lugdunum, ubi nempe stagnant aquae. Et hinc explicandum duco (ait), hanc urbem prae caeteris omnibus nitidam esse et lautam. Res autem, quibus ad vitam instruendam opus est, perpetuo diluendae et abstergendae sunt ne ultro depereant; unde candor ille et nitor qui offenditur in eorum domibus, quod autem immerito nimio cuidam eorum tergendi et retergendi studio adscribitur a quibusdam festinanter iudicare solentibus.

Sed haec paullo iniucundiora mittamus. — Regionem hanc maxime mer-

catura florere, res ipsa docet. Tunc temporis autem ad culmen adductam eam fuisse testantur omnes aequales, tam extranei quam cives, quin testata est ipsa ea aetate gentium invidia, quae Rempublicam nostram excidio voverat. Prae caeteris omnibus fortasse Templius Batavorum mercaturam celebrat. Constat (inquit) [22]) inter rei peritos, nullibi terrarum neque hodie, nec post hominum memoriam esse regionem, quae tam vasto polleat commerciorum ambitu quam angustus iste tractus quatuor provinciarum maritimarum. Quin existimantur hae solae plures possidere naves quam tota reliqua Europa. Singulae urbes propria sua negotia vindicasse videntur et perpetuo nitendo ad summum fastigium-evexisse. Hanc autem mercaturae in Hollandia amplitudinem magis tribuit [23]) civium virtutibus, probitati, industriae, parcimoniae, et magistratuum curis indefessis, et civitatis legibus aequis, et vectigalibus moderatis, quam locorum opportunitati. Imo contendit, nec immerito, ipsam Angliam longe commodiorem esse navigationi quam Hollandiam. Nullos fere proprios haec habet proventus qui exportentur, praeter caseum et figlina [24]); nullum facilem portum. Vexant oras per maximam anni partem cauri procellosi, ostia arenis obstruentes, dum contra Eurus Britanniae placide afflat, coelo pelagoque serenis, unde factum puto (inquit) ut tot tamque alti et capaces portus in hac pateant et vix ulli in Gallicis et Belgicis maris Germanici ripis [25]). Mox aspera hiems in Hollandia per duos tresve menses quotannis glacie claudit aquas, dum raro admodum Angliae portus ea obstruantur [26]). Quin ipsius Amstelodami, quod gloriatur spoliis Lisboae et Antverpiae, videtur esse omnium importunissimus portus, quippe ad quem vada aditum obstipant nisi exonerentur ante naves, commeatum per sinuosum mare Flevum periculosiorem reddentia ipso a Tessela in Hispaniam navigio [27]).

Quo facile apparet (sic hunc locum absolvit), non portus allicere mercaturam, sed mercaturam implere et amplificare portum. Nec Hollandia excrevit naturae beneficio sed industriae suae viribus; extera quaeque commoda elaborans et exornans; tamquam commune Europae emporium undique recipiens et quaquaversum divendens quaequae venalia desiderantur; vecturam faciens per omnem orbem terrarum.

Sed huic praeconio subiungit admonitionem qualis et hodie subinde auditur, etsi nos certe experientia meliora docuerit. Veretur enim, ne

iam hic mercaturae Hollandorum flos e sua ipsius exuberantia flaccescat. Nam, inquit, ad certum finem tantum proficiunt commercia et, aequoris instar, quo aluntur, habent fluxum suum et refluxum, ita ut fastigium quoddam attingere nequeant, quin repente relabantur. Inprimis hoc ominosum. Inclyta illa Societas Indica, quae olim quinque aut sex maximum naves quotannis onerare solebat, nunc ad octodecim, quin adeo ad vicenas hunc numerum evexit. Imo audivi — mirabile dictu! — intra unius anni spatium non minus quam viginti duas naves onerarias ex India portus Hollandiae subiisse. Qui tandem sine damno tanta divendetur proventuum moles [28])!

Industria parit opes; mercatura divitias coacervat. Maiorum nostrorum opulentiam apud exteros in proverbium abiisse novimus; neque igitur mirum, hanc quoque extollere TEMPLIUM. Adeo, exclamat [29]), referta pecunia est Hollandia, ut istic apud plebiculam plus argenti invenias quam aeris apud Gallos et ipsos Hispanos.

At longe omnia antecellit splendor Amstelodami, tum si privatorum opes spectas tum si publicam dignitatem [30]). Illi ad sedecim centena millium florenorum quotannis varia tributa solvere censentur. Quod ad hanc attinet, constat, in nulla urbe copiosius nec expendiosius consultum esse robori, venustati, elegantiae, vallorum et munimentorum potentia, viarum munditie et decore, aedificiorum publicorum, quales curia est et armamentaria, magnificentia, hospitiorum numero, capacitate et opulentia, ita ut vix credideris unam urbem talia tantaque opera condere valuisse. Verum eo quoque ordine procedere solent in aedificando, ut nemo ullum opus suscipiat nisi certum habens, se propositum exsequi posse, neque unquam audiverim domum privatam vel publicam exstructam esse, quae non intra constitutum tempus absoluta fuerit [31]). — Hodie certe alia ratione interdum utimur, A. A. — Solius curiae Amstelodamensis aedificatio consulto nullis certis temporis finibus circumscripta est, sive quo magis succedentes perpetuo magistratus ingenium et diligentiam experirentur ad amplificandam et exornandam talem basilicam; sive quia, si famae credendum, vaticinium circumferebatur: „declinaturam esse Amstelodami mercaturam perinde ac Antverpiensem ex quo die absoluta foret curia." — Quod fatum revera non effugisse videtur Amstelodamum; etenim narrant auctores aedificationem

curiae protractam esse usque ad finem saeculi XVII; ab eodem autem tempore exoriuntur querelae de labente huius metropolis mercatura [32]).

Sed talia quis luxuriae potius quam opulentiae testimonia perhibeat. Igitur audite TEMPLIUM nostrum mirabundum exclamantem [33]), in Hollandia tam uberam esse sortium copiam, ut fundorum domini contenti essent foenore binorum assium in centenos, quin nescire pecuniosos homines, quo compendiose nummos vertant. Ita, ut non his minus quam ipsi rei publicae consultum visum sit, ubi nomina publica inventa sunt. Grandem iam tunc temporis pecuniam debebant Ordines Generales; cuius usurae annuae pendebantur terdecies millena millium florenorum; ipsa Hollandia provincia insuper mutuata fuerat sexaginta quinque millena millium; de hac autem testatur auctor [34]), eam usuras adeo religiose exsolvere, ut nunquam bis eas petere necesse sit, tamque bona frui fide, ut quantum pecuniae libuerit sumere possit. Qui admittuntur ut ipsi nummos suos locent id pro ingenti gratia aestimant; et quotiescunque pars sortis rependitur, creditores eam lacrymantes recipiunt.

Per talem divitiarum congeriem facile ferebantur onera publica, quae nequaquam hunc populum premere videbantur quamvis grandia et ferme insuperabilia [35]). Nam, praeter alia, universi Belgii Foederati expensa ad plus quam vicena millia millium florenorum elata fuerant [36]). Sed et ipsa haec opum potentia in promptu semper et ubique erat ad sublevandas egestatis curas; liberalitas enim his innata videtur, quae tamen prudenti moderamine temperatur, nec moveri solet miseriarum tristi adspectu; sed cernitur in subministranda ope cuivis indigenti; et mirabilia omnis generis hospitia, quae hic ostenduntur, in cuiuscunque peregrinantis ore sunt [37]).

Dicat forte aliquis: nihil, hercle, affers novi, orator! Nos quoque colimus regionem, invita natura hominum opera ornatissimam: et hodie pollet Hollandia fertilibus arvis, simul et incolarum frequentia et paene exuberantia: nec minus florent commercia, et portus implentur navigiis; neque octodecim carinae aut viginti, sed trecentae quotannis advectant odoratas Indiae messes! — Et hodie merito celebratur opulentia civium, ita ut nos

quoque pecuniosos homines misere querentes audiamus, sese nescire quo utiliter pecuniam vertant. Quid onera publica? — quadruplicata sunt; quid aes alienum? — in immensum excrevit; tamen illa feruntur; huius fides firma stat. Quid de cura pauperum? Adeo immoderate exspatiata est, ut vel legibus cohiberi eam oportere visum sit. Hoc solum mutatum est. Frustra obnitentibus civibus Leidensibus, *tamen* exsiccatus est lacus Harlemensis; quod autem nunc moliuntur hoc est, ut omnes ardui operis fructus in se solos redundent.

Recte monet ille, A. A. — Sed haec eadem, quae nobis hodie vix memoratu digna habentur, quo tempore scribebat TEMPLIUS omnibus exteris inaudita et fere prodigiosa videri debebant, comparantibus cum istis quae in sua quisque patria reperiret. Italos, Hispanos, Germanos mitto. TEMPLIUS ipse opponit Hollandiam Hiberniae; at opponere debuisset ipsi Britanniae et Galliae. Non est, ut harum regionum ea tempestate conditionem, ut cognoscitur e multis aequalium scriptis, copiose, nunc exponam. Sed e paucis discite caetera. Galliae Magnus iste rex LUDOVICUS, qui se vel solis instar splendere gloriabatur, exhausto semper aerario et obruto aere alieno, nulla unquam fide habita erga creditores, eo tandem aliquando pervenit, ut nonnisi quadringenorum in centum pollicitus usuras pecuniam sumere posset [38]). Miser autem populus (scilicet extra Lutetiam, quae regis opulentia qualicunque tandem modo alebatur) non raro eo redactus erat, ut per silvas et campos vagantia agmina herbis et arborum corticibus et cadaveribus bestiarum famem expellere cuperent, et centeni inedia confecti in viis iacerent insepulti [39]). — In Britannia certe iam tunc felicior populi conditio erat. Ita tamen, ut numerus incolarum vix duplo maior esset iis qui nostram patriam habitarent, et, praeter Londinum, quatuor tantum ostenderenter urbes, quae plus quam decem millia civium haberent [40]). Reditus publici variis artibus vix ad dodrantem efferri poterant eius, quod nostrates facile expendebant. Erga creditores fisci haud melior fides quam in Gallia, donec a GUILIELMO III introductum fuerit *Systema Hollandicum*, ut vocant Angli morem religiose exsolvendi usuras [41]). Ager vastissimus incultus iacebat, vix dimidia parte soli aratro subacta. Vias invias ubicunque infestabant latrones, cui pesti non prius quam versus finem saeculi XVIII efficaciter

obviam itum est. In media metropoli noctu opaca et vel de medio die colluvies omnis generis nebulonum flagitiis suis trivia et emporia, luto et coeno et nullis non sordibus squalentia, conturbare impune solebat [42]). — Quantum mutatum ab illo iam splendet huius aevi Londinum, quod

. . . tantum alias inter caput extulit urbes
Quantum lenta solent inter viburna cupressi [43])!

Vereor, A. H., ut aeque grata et accepta ac superiora vobis sint quae nunc ex auctore nostro excitaturus sum. Ille enim de indole populi et moribus exponens, laudes suas interdum vituperio temperat; ad hoc, quod nosmet ipsi honori vertere solemus huic subinde paullo aliter apparuit. Postremo, omne populi ingenium, virtutes et vitia, primario tribuit coeli solique asperitati: unde si haec excusationem petere posse videantur, simul illis omne, si quid est, gloriandi argumentum demitur. Nec vos fugiet, siquidem vere arbitratus est noster, ea, quae ille de maioribus nostris refert, etiamnunc valere debere de aequalibus, quandoquidem nec coelum nec solum mutarunt naturam. Vos igitur iudices, etiamsi in re haud aliena, aequi estote.

Non est, ut ad verbum referam quae multa Templio disputantur de huius gentis gravitate, frugalitate et industria, deve Batavorum libertatis amore et antiqua fortitudine, licet hanc postremam otio et opulentia paullatim enervatam esse censeat [44]). Sed de libertatis illo amore ita eleganter dicit [45]): Talem esse, ut qui nunquam tyrannum ferre potuissent tamen ultro se submittant legibus patriis, quamvis duris, et magistratibus popularibus dicto sint audientes, quamvis severis, nec recusent solvere innumera et gravissima tributa, qualia nunquam ante tolerare voluissent; sed haec omnia pati quoniam compertum habeant, unicuique pariter patere viam ad summos in civitate honores, omnesque perinde, imperantes civesque, pro facultatibus in onera conferre, nec ullo privilegio quemquam frui, nec pecunia in publicos usus comparata ditari privatos, homines vanos, immodestos, luxuriosos (mementote autem, A. A., quam longe diversa eadem aetate in Britannia regnante Carolo II ratio fuerit), sed totam sincere impendi in Reipublicae securitatem et gloriam.

Unos omnium autem Frisios libertatis suae studiosissimos docet esse, videlicet antiquae Germanae originis tenacissimos. Cuius tenacitatis lepidum specimen est vicus Molquerae [46]), „in veterum Germanorum morem, non continuis et cohaerentibus aedificiis, locatus, sed discretis et temere ac fortuito disiectis, ut locus cuique placuisset [47])," ita ut hospes, qui visendi caussa venerit, sine duce se extricare inde nequeat. — Eadem igitur Frisiorum coercitionis impatientia in omnibus apparet, nec latet in eorum civitatis ordinatione, quam accurate et studiose declarat auctor [48]). Cui expositioni autem subiicit observationem, quae nobis satis admirabilis videri possit. Nam qui hodiernis temporibus eiusmodi Reipublicae constitutionem disquirunt, qua optime populi libertati consultum esse videatur, oculos vertere in Britanniam solent, omnium Europae gentium in hac arte politica praeceptorem. Quid autem noster? Affirmat [49]), se, diu et multum ea de re meditatum, invenisse, Britannos celeberrima sua instituta politica ab ipsis Frisiis esse mutuatos. —

O fortunatos nimium sua si bona nossent

Maiores! — Itane nobis tot tantisque rerum conversionibus opus erat, et crebris discordiis et acerrima necdum sopita ista contentione partium, ut reverteremur illuc unde exordium ductum esset!

Ne tamen existimetis, A. H., me nostrates levitatis insimulare! Longe aliter certe TEMPLIUS, qui contra horum constantiam et severitatem, ut qui maxime, celebrat. Aliis, inquit [50]), hilarius sit et alacrius ingenium et facetius cavillari datum; at his gravior animus et solidior, negotiis incumbens: aliis in sublime altius evolet imaginatio; his tardior quidem intellectus, sed cui concepta penitius imprimantur et tenacius inhaereant. Nec si quod propositum persequuntur unquam sinent se averti spe vel timore, nec fastidio incepti aut meliorum consectatione. Quod utique honori ipsis esse retur. Etenim „illorum indoles similis est novaculae, horum securi. Altera praestat quidem subtili acie et polito micat ferro, sed facile obtunditur ubi dura materies resistit; at altera solida et gravis pertundit quocunque cadit. Illa nimirum cultui, haec usui est."

Nulla vero res peregrini, certe Angli hominis admirationem magis fortasse excitaverit, quam civium nostrorum ea tempestate frugalitas et sumtuum moderatio. Hinc locupletes, ait [51]), sunt, quod unusquisque plus habet

quam expendit, imo, minus expendit quam reditus qualescunque ferunt. Et si forte accidit, ut aliquis annua expensa aequaverit acceptis, annum perdidisse se arbitratur [52]). Prae caeteris duo illustria exempla huius continentiae et nostrae admirationi proponuntur. RUYTERUS, patriae ille vindex, „immensi tremor Oceani," quo maiore nullo gloriamur cive, nunquam splendidior in publicum prodiens conspiciebatur quam quilibet navis magister, domi autem cultu et supellectile utebatur non ornatiore quam negotiator quilibet Amstelodamensis. IANUS autem WITTIUS, non huius civitatis modo, sed omnis ferme Europae fortunarum moderator, belli pacisque saepe arbiter, uno tantum utebatur famulo, qui domesticis omnibus ministeriis fungebatur idemque domino in solemnibus, veste mutata, pedissequus erat. Nec potentes illi et gravissimi Amstelodamenses Burgimagistri ambitiosius fecere [53]). Quamobrem sufficere iis visum est ea aetate salarium quingenorum florenorum. Verumtamen non negligendum, quod addit TEMPLIUS, iisdem post depositum magistratum alia munera oppido opimiora mandari solita fuisse; nec magis, eodem teste, publico sumtu iis subventum fuisse, quoties e re civitatis esse videbatur lautis epulis exteros excipere hospites.

Sed non in his rudibus populi Batavi indolis lineamentis subsistit auctor. Penitus eam indagare cupiens, concinne nationem Hollandicam in quinque describit [54]) ordines: agricolas, nautas, mercatores et negotiatores, patricios, nobiles, et quae singulis propria sint copiose exponit. Quae silentio praeterire vetat materiae pondus et interpretis religio, quamquam hoc inprimis loco memores sitis velim, A. H., meum tantum esse TEMPLII de maioribus vestris iudicia candide expromere; quae neque confirmare argumentis neque refellere in animo est; ex ingenio suo quisque demat vel addat fidem.

Igitur Ruricolae, inquit, genus hominum patiens sunt magis quam ad laborem proclive. Obtuso ingenio et hebetiores, quibuscum non imperiose sit agendum; at sequaces dummodo benevole et ingenue eos adhortere, et sinceris argumentis facile cedentes. Caeterum simplices, probique. Bonum nullum norunt nisi subvenire necessitatibus, et — quod omnibus utique commune — augere opes. Victus quotidianus constat oleribus, radicibus (apparet solanum nondum vulgatum fuisse) et lacte concreto. Quo suspicor factum esse, ut iis corporum vires et robur haud respondeant proceritati.

Simplex quoque nautae hominum genus. Sed longe ferocius, sive quia solent saeva discrimina fluctuum tentare, sive quod lautiore utuntur victu. Truces sunt et asperi; strenui quidem, sed in perdurando quam ad impetum validiores. — Certe mecum vovebitis, A. A., fore, ut aliquando tales viri ex iuventute nostra Leidensi prodeant.

Longe ab his diversi mercatores et negotiatores et omne genus opificum, qui colunt urbes, quo undique convenire solent hospites populares et extranei, quorum perpetuo commercio astutiores evadunt. Industrii sunt et dexteri et in negotia propensi; callidi ad lucrum capessendum ex inscitia et vanitate eorum quibuscum iis est negotium, et acerrime ius suum persequentes cum data sit facultas. Ubi vero par pari occurrit aut lex utrique aequa, omnium sunt ingenuissimi. Quod non adeo profectum videtur e sensu boni rectique, quam ex usu et necessitate commerciorum, quae scilicet haud minus a bona fide pendent quam bella a disciplina. Apud hos inprimis cernas stupenda ista opum incrementa; quippe qui his solis parandis per totam vitam incumbant, nec quidquam antiquius habeant quam vacare a rei publicae curis: nihil enim flagitant nisi tuto et quiete bonis suis frui, et fortunas administrare. Quorum tamen nonnulli, si tandem satis divitiarum partum est, filios in patriciorum morem educant, filias in optimatium familias elocant. Hoc modo multis ex eo ordine via ad summos in civitate honores munitur.

Hae autem gentes, quae de patrimonio vivunt, multum a caeteris differunt educatione et elegantia vitae, quamquam eadem iis victus modestia et parcimonia. His quasi proprium concessum est Rempublicam gerere; quae munera obeunt non ita lucrandi gratia quam honoris. Re familiari contenti ambiunt tantum civium existimationem. Filios liberaliter instituunt, primum in scholas missos, mox in Universitates quae sunt Lugduni et Ultraiecti, ubi humaniora doceantur sed apprime Iurisprudentiam. Post adolescentes peregrinatum eunt, quemadmodum apud nos nobiliorum iuventus solet, sed vix ultra Angliam, Galliamve progrediuntur. Instituuntur hac ratione, quo magis idonei fiant civitati regundae. At non raro in patriam revertuntur nil nisi peregrinos mores male simulare edocti.

Postremum vitium imputatur quoque nobilibus, quos admodum dissimiles caetero populo esse et nimium genus suum iactare perhibet noster.

Frustra hi (inquit) Gallos aemulari student habitu, vestitu, sermone, victu, quin imo amoribus et libidinibus. Et e mea sententia aliquanto peiores evadunt quam oporteat, affectantes meliores videri quam opus sit, personam agentes ridiculam quum potuissent esse viri spectati et venerabiles si sat habuissent sui similes esse, popularesque virtutes colere. Caeterum (benigne addit) et hi genus sunt hominum affabile et politum; et quae obeunt munera publica probe et laudabiliter gerere solent.

Talibus propemodum gentis Batavae indolem, usus et mores Templius exponit. Et hic iam rivos claudere licuisset, nisi aliquid superesset quod mihi certe commemoratione dignissimum videtur. Audivimus enim auctorem opinantem, priscam huius populi virtutem sensim evanuisse, eosque per commercia, per opes, per otia et desidiam ingenium torpescere sivisse. Sed aliud insuper addit monitum quod gravius etiam videtur, tum si rem ipsam, tum si materiem rei spectas. Nam illud poëtae:

Felix qui potuit rerum cognoscere causas!

haud absonum argumento putabitur.

In universum, inquit[55]), omnes penes hos cupiditates et animi motus segnius cientur quam apud alios. Rixae rarae nisi inter vinolentos; item vindictae et aemulatus. Graviores sunt quam ut sciant, quid sit gaudiis exsultare, frigidiores quam, quid amare. Potando forte nimis indulgent: quam rem non adeo sanitati conducere existimem, ut ipsis videtur, attamen e necessitate sustinendi et stimulandi sub hoc tristi et nebuloso coelo ingenii excusabilem[56]). De amore autem nonnunquam disseritur inter iuventutem, sed ut de re auditu magis quam usu nota. Equidem vidi aliquos qui amatores satis probabiliter referrent, nullum vero pectore spirantem Cupidinem. Sive adeo libertatis studiosi sint, ut ne dominam quidem ferre possint, sive toti in ea cura negotiorum, quam illis inesse novimus; nam nulla re efficacius expellitur amor, qui fugit ubi non solus totum animum occupat. Nec profecto ipsas puellas curare reor, utrum diviniore flamma ardeant proci. Matronis autem pudicitia innata est et hereditaria, ut probitas viris. Vitam agunt domum curantes, moderantes familiam, eximia fama fruentes.

Certe ita leniter subridens non parum laudis tribuit nostratibus auctor,

et nescius idem testatur de iis quod diu ante iam testatus fuerat TACITUS: "nemo illic vitia ridet, nec corrumpere et corrumpi *saeculum* vocatur [58])."

Si vero illum de causis huius modestiae et ἀπαθείας (ut cum Stoicis loquar) interrogas, duas inprimis affert: alteram nimbosum illud coelum, de quo iam saepius sermo nobis fuit; alteram autem alimentorum defectum [59]). Quam postremam nec semel, neque ut in transitu attingit, verum iterum iterumque atque ex industria inculcat. Nescitur, exclamat, quantam vim in corporis animique robur habeant ciborum natura et virtus. Saepe audivi medicum quemdam profitentem, posse se maligne escam praebendo quemvis fortissimum virum intra duos menses reddere ignavum. Hinc esse cur inter animalia praestent carnivora herbaticis; hinc etiam inter homines cur opulentiores imperent plebiculae, ut quae non magis serviendi usu, quam ipsa egestate opprimatur. Hinc quoque factum esse, exsultans addit [60]), ut nostri Britanni coloni, qui oppido carnibus ali insueverint, caeteros omnes virtute superent. Quid ergo mirum, in Hollandia, ubi vulgus vix una die de septem hac vescitur, priscum populi periisse vigorem? — Ita nihil est in terris novi, A. H.! Et qui hodie hanc populi nostri causam agimus strenuum habemus nec opinatum auxiliatorem, eandem iam ante ducentos annos ex industria tuentem.

Habetis, A. A., quae TEMPLIUS de Hollandiae conditione et Batavorum moribus praecipua exposuit. Plura quidem proferre possemus, sed modus adhibendus est. — Hanc igitur gentem diro excidio destinatam et iamiam in internecionem abruptum iri existimat et candide deplorat [61]). Imo hinc ipsa ei petita est occasio scribendi. Postquam (ita libri sui praefationem exorditur) videramus hanc civitatem ad id fastigium opulentiae, gloriae, commerciorum et frequentiae evectam, quo invidiae nonnullis, formidini aliis, prodigio cunctis exstitisset vicinis populis, eandem nupera aestate e media quiete et incolumitate post paucos dies et paucissimas clades in extremam perniciem collapsam conspeximus. Igitur, ut nullius hominis vita recte declaratur priusquam venerit ultima dies, opportunum nunc iam videri possit huius Reipublicae vicissitudines commemorare [62]). — Ad-

miraminine, A. A., tale vaticinium? Quid mirum, hostem, quamvis benevolum, desperasse de iis qui omnem ferme ipsi spem de se deposuissent? — Quid, eum desperasse, ubi animadvertisset duorum potentissimorum regum, LUDOVICI XIV et CAROLI II, vires coniunctas, adauctas etiam Germanorum conducticiis copiis, hanc unam exiguam Rempublicam, omni auxilio destitutam, internis insuper dissensionibus districtam, infestissimo bello obruentes? Sed et alia impendentis nec fugiendae cladis omina erant. Mitto istam civium socordiam et per commercia et divitias desidiam. Neque arguo imprudentiam qua ille nostrates reprehendit [63]), quippe nimium fretos sociorum auxilio foederumque sanctitate, incaute fidentes Gallorum blanditiis, quibus insidiosis circumveniri sese passi fuissent. Sed apprime urget [64]), eos rem suam militarem, seu perversa parcimonia, sive invidia quadam motos, sive tandem aliis de causis, ruere et pessumdari sivisse; mox autem, ubi discrimen adesset, hostisque instaret, correptas repente copias in plurimas per omnem finium ambitum urbes munitas dispersisse, quasi singulis his servandis servaretur patria, dum contra oportuisset collectum et compactum agmen hosti irrumpenti, quo maxime impetus foret, obiicere. — En, inquit, causas cur interiit inclyta haec Respublica. Caeterum (ita philosophans concludit [65])) tranquillo quilibet gubernator est. Et fateor nihil difficilius esse quam ante casum salubria dare consilia, nihil facilius, quam post eventum probabiliter disputare. Saepe, quod speculantibus nobis veri speciem habet, experientia vanum esse arguit, et mala initia bonum exitum habent. Igitur in hoc uno acquiescamus: In Deo solo inesse sapientiam et felicitatem: mortalium autem eos esse sapientissimos, qui paucissimos committant errores, hosque beatissimos, quibus rarissime occurrat adversa fortuna.

Et profecto, quae sit mortalium prudentia ostendit eventus, qui longe diversus ab huius sapientissimi viri divinatione exstitit. Rediit in ipso discrimine antiquus Batavis animus, hostemque superbum e media patria repulit, mox finibus ipsis eiecit. Exortus est hoc ipso bello GUILIELMUS ille Tertius, sospitator Patriae, Europae vindex, LUDOVICI debellator: quem mox classe Batava advectum liberatorem et regem Britanniae TEMPLIUS erat aliquando salutaturus [66]).

Ad alia me vocat huius diei solennitas et placitum legis, quae praecipit ut enarrem huius nostrae Academiae, me Rectore Magnifico, fata. — In quibus, ut sunt res humanae, adversa commixta prosperis fuere.

Amplissimos Viros Curatores salvos habemus. Quod eximie laetamur, memores, hoc anno Academico ineunte nuntium ad nos pervenisse, Te, spectatissime VAN EWIJCK, gravi et vix superabili morbo laborare. Placuit Deo optimo carissimum caput servare familiae, academiae, patriae: nec minus gratulamur nobis hoc insigne bonum, quod Tu, postquam Tibi visum fuisset, bene per quadraginta et amplius annos de patria merito, vacationem a re publica petere [67]), tamen non deposueris nostrarum rerum curam, et dilectum Tibi multis nominibus Ultraiectum migrans, tamen non desisteres hanc Lugdunensem Academiam antiquo amore complecti. Accipe pro hoc Tuo beneficio grati omnium animi — ut etiam pro his pollicear — testimonium.

Tu quoque mihi compellandus es, illustrissime VAN LIMBURG STIRUM. Vereor ut Tuae modestiae gratum faciam; nolo tamen non commemorare hoc loco, Regi nostro, Magno Duci Luciburgi, visum esse, Tua merita amplioribus Coronae Querceae insignibus decorare [68]). Quo, quam gratum nobis omnibus huius oppidi civibus fecerit, vix est ut dicam, quippe qui Te suspicimus et diligimus virum bonum et integrum, Consulem strenuum, indefessum, affabilem, nihil moleste ferentem, ubi vel urbi vel cuivis civium prodesse possis. Te Consule diu fruatur civitas Leidensis; Te Curatore Academia. — Et Vos omnes diu incolumes habeat, Viri Amplissimi. Pergite, ut facitis, nos benevolentia Vestra complecti, commodis Academiae providere, eamque ornatissima supellectile instruere et amplificare.

Haud item pepercit huic Clarissimo Ordini, neque adeo illi iuvenum florenti coronae dira mors.. E commilitonibus unum desideramus, sed illum fratri coniunctissimo, amicis, aequalibus et praeceptoribus dilectissimum, ALBERTUM LEONARDUM VAN MIEROP, I. C., lenta tabe confectum [69]).

Ita omnis dies quam nihil simus ostendit. Quam vero cladem sustinuerit noster Ordo, non est ut in vestram memoriam, A. H., revocem. Scitis omnes, quo subito fato amiserimus Clarissimum ANTONIUM NIERMEYERUM, postquam vix, et ne vix quidem, duos annos desideratissimi OORDTII apud nos locum occupavisset. De quo autem quomodo satis probabiliter coram vobis dicam, nescio. Rectori enim Magnifico munus deponenti haec, per ipsam qua adhuc vivimus legem, provincia mandata est, defuncti Collegae vitam enarrare, merita exponere [70]). Quid autem ego, qui in studiis habitem longe diversis, huius eruditissimi Theologi laudes celebrare meritas sine temeritate possim? Cum etiam recordamini quae iam certatim disertissime eoque perdigne in eius honorem dixerunt scripseruntve collegae amantissimi KISTIUS et SCHOLTENUS, tum et DRESSELHUSIUS, SEPPIUS, alii [71]). Quidve multis vitam exponam placidam, quietam, vicissitudinibus vacuam, in studiorum et muneris ecclesiastici tamquam recessu ad quadragesimum ferme annum abditam, donec in hanc Universitatis lucem, sero pro meritis fere dixerim, evocaretur? Hoc satis esto. NIERMEYERUS noster, humili loco ortus, humili loco primum destinatus, sed casu fortuito, moderante Divina Providentia, adductus ut in studiis, in litteris, in theologia tabernaculum vitae poneret, cum in hac Academia disciplinis operam daret, commilitonibus et vel praeceptoribus paene latitans, post in remotissimum pagum per multos annos quasi relegatus, oblivione obductus, cum adversa saepe valetudine conflictans, at obnitens fortunae, corporis infirmitati, oblivioni, impiger, sedulus, indefessus, ostendit, quî labor improbus omnia vincat. Octo abhinc annis primum eluxit ex hac solitudine stupenda illa viri S. Scripturae notitia, qua repente primus inter omnes omnium peritorum consensu apud nos exstitit exegeta [72]). Deinde nescias, magisne admiranda sit scriptorum ab eo editorum continua et immensa series an vero in singulis acumen ingenii et eruditio accuratissima. Et nunc virtutis praemia undique in eum conferri; doctae Societates socium cooptare; Senatus huius Academiae honoris causa Theologiae Doctorem creare; cum alii, tum Roterodamenses eum sibi Sacrorum Antistitem habere velle; Academiae nostrae Curatores suadere, ut OORDTIO demortuo sufficeretur, Regi placere, huic voto obtemperari. Altero abhinc anno ad nos advenit, die 28 m. Maii munus Professoris Ordinarii in Facultate Theologica auspicatus Oratione: *de The-*

ologiae practicae studio futuro Euangelii ministro prorsus necessario. Multi eo tempore mirati sunt, virum eruditione et doctrina adeo praestantem dicendi argumentum sumsisse Theologiam *practicam*. Sed ubi postea, scholis apertis, animadvertissent, hunc praeceptorem discipulis suis suam practicae Theologiae experientiam inprimis sincere et omnibus viribus impertiri sibi proposuisse, admirantes novam hanc laudis materiem ipsi merito constituerunt. Itaque omnes, collegae, discipuli, cives, optime de eo augurabamur et sperabamus. Sed Summo rerum humanarum Moderatori aliter visum est. Ubi culmen honorum attigit, quasi vitae quoque metam attigisset, huic vitae cursus conclusus est; suisque et nobis, Academiae, disciplinis, praematura morte, ut hominum iudicat imprudentia, eripitur [73]).

Qua iactura de novo nec opinato afflictae iuventuti Tu inprimis, quo es in omne bonum ardore, opitulatus es, Clar. KUENEN, cum in Te susceperis intermissis nec tamen desiderandis scholis pro viribus vacare. Quo magis etiam laetati sumus, Regi augustissimo placuisse, Te, postquam omnibus plaudentibus per biennium fere extraordinariam Theologiae professionem obiisses, in Ordinariorum Professorum numerum referre. Nec minus nobis ipsis quam Tibi gratulati sumus ex animo, cum Te mox gratissimum Senatus socium salutavimus [74]).

Et Tibi gratulamur, Cl. PRINS, eodem regio decreto in quartam Facultatis Theologicae cathedram vocato. Quo benevolo animo ad nos adveneris, qualemque hi Te doctorem habituri sint, in elegantissima oratione, qua nuper munus auspicatus es, egregie significavisti [75]). Profitentem Te audivimus, Tibi persuasum esse, futuros theologos non solum in viros doctos, qui Ecclesiae dogmata diserte edoceant et strenue defendant, verum etiam in viros ab omni parte bonos educandos esse; tales autem evasuros tantum esse per academicam institutionem, quae omnes omnino complectatur artes, variasque exerceat ingenii dotes, quaeque vitae communis usu, variorum praeceptorum commercio, et aequalium consortio, nihil humani alienum esse debere doceat. Cuius sapientiae non tantum doctorem Te sed exemplar quoque habebunt discipuli Tui.

Sic, A. H., inter desideria et moerores habemus etiam quibus animum erigamus. Caeterum bona multa referenda supersunt. Nolo enim hoc die et ex hoc loco quorumdam privatum, meumque ipsius domesticum luctum renovare! — Collegas omnes superstites et valentes salutamus; quos inter Te quoque lubentissime conspicimus, HENGELI, atque itidem conspiceremus TYDEMANNUM nostrum nisi medici prudentia invitum iussisset domi se tenere. Sed et illum et Te suspicimus iam diu quidem rude donatos, sed nondum senectute oppressos, et vel ex hoc meritissimo otio Academiae et disciplinis, ut pridem, prospicientes. Quod idem nobis compertum est de SCHRANTIO, antiqua studia Germanica etiam nunc diligenter persequente, de PEERLKAMPIO et NIEUWENHUSIO, procul ab hoc loco, sed non a nostra observantia remotis. Caeteri Professores assidue et feliciter suae quisque provinciae praesunt, cum instituendae iuventuti summam operam dantes, tum libris vel scriptiunculis bene multis editis doctrinae suae copiam pluribus etiam impertientes. Nec defuere solertiae et meritorum debita praemia. Ita Vobis gratulari nobis datum est, Cl. IANE VAN DER HOEVEN et GUILIELME HENRICE DE VRIESE, in ordinem equestrem Leonis Belgici receptis [76]; ita Tibi quoque, Clar. PETRE OTTO VAN DER CHIJS, a Lusitaniae rege insignibus ordinis Christi ornato [77]. — Tum et liberaliter provisum est studiis promovendis. Interpreti Legati Warneriani, quocum biennio ante candide deploravimus KUENENIUM ipsi ademtum esse Adiutorem, novus adscitus est Adiutor, ornatissimus PETRUS DE IONG, Theol. Cand [78]. — Cl. RYKIO, Laboratorio Physico Praefecto, itidem gratulamur Adiutorem, doctissimum IOHANNEM BOSSCHA [79]. — In expertissimi autem Hortulani IACOBI SCHUURMANS STEKHOVEN demortui locum suffectus est ornatissimus HENRICUS WITTE [80].

Et his iam de fatis Academiae satis dictum foret nisi superesset ut, quod privatim mihi iam facere contigit, hodie etiam publice Te salutarem, Celeberrime IOHANNES BAKE, qui haud pridem octavum lustrum in Academica iuventute instituenda cum omnium admiratione feliciter condidisti [81]. Qui festus dies Tibine an Academiae laetior fuerit, dubito. Concurrerunt eo die multi quondam Tui discipuli, nunc viri in omni vita, in Scholis, in Ecclesia, in Civitate conspicui, qui, oblato munere caelato, grati animi testimonium darent, Tibique, facundissimo pro omnibus ore loquente, gratu-

larentur. At me hodie verecunde admodum ex hoc loco Te alloqui eo sermone in quo tu regnas, quis mirabitur? Salve, Vir Spectatissime, Academiae decus, senex venerabilis! Sed ita senex, cui senectus non modo languida atque iners non sit, verum etiam sit operosa et semper agens aliquid et moliens, tale scilicet quale studium Tuum in superiore vita fuit. Cuius nondum senatus vires desiderat, nec cathedra, neque amici, nec discipuli, nec hospites. Quem, etiam si extrema aetatis tempora ab his curis et studiis vacare mox suadebunt, id modice et sapienter, sicut omnia, laturum esse scimus, quandoquidem (ut cum CICERONE Tuo loquar[82])), "aptissima sunt arma senectutis artes exercitationesque virtutum; quae in omni aetate cultae, quum diu multumque vixeris mirificos efferunt fructus, non solum quia nunquam deserunt, ne extremo quidem tempore aetatis, verum etiam quia conscientia bene actae vitae multorumque bene factorum recordatio iucundissima est."

Iam nihil superest, nisi ut Te, Clar. IOHANNES HENRICE SCHOLTEN, iterum Rectorem Magnificum proclamem. Salve, Vir Magnifice, iterumque salve! Tibi commendo hanc nostram carissimam Academiam, eosque lectissimos iuvenes, Academiae cives. Per hos leve et iucundum Rectoris munus mihi fuisse testor, Tibi fore auguror. Eorum studia et mores lubens palam laudo, non quia moris est, sed ex animi mei sententia. Ipsi autem huius diligentiae et honestatis cum alia bene multa dederunt specimina, tum maxime hoc, cum quinquagesimum sextum Academiae conditae lustrum opipara et splendida, quin adeo docta pompa celebraverunt, admirantibus millenis conspicientibus, civibus, hospitibus, popularibus, peregrinis[83]). Haud pauci summos in sua quisque disciplina consecuti meritos honores a nobis abierunt, doctrinae suae copiam in vitae communis usum convertere iam parati; plures etiam nomen professi sunt, qui in hac Musarum sede discant

Certare ingenio, contendere nobilitate,
Noctes atque dies niti praestante labore,
Ad summas emergere opes, rerumque potiri [84]).

Trado Tibi Academiam vigentem et florentem. Te Rectore Magnifico vigeat, floreat, crescat etiam Academia Lugduno-Batava.

DIXI.

ANNOTATIONES.

---

1) Scilicet flagrante bello Russorum cum Turcis horumque sociis, Britannis, Gallis, Sardis; quod feliciter compositum est pace Parisiensi diei 30 mensis Martii anni 1856.

2) »Mancherlei drohende Andeutungen, die man dabey wie zur Schau stellte, (wie die »Inschrift auf dem Thore Cherson's: *hier ist der Weg nach Constantinopel*) erregten eine »hohe Spannung Europa's." K. von Rotteck, *Allgemeine Geschichte. Achte Auflage* (1833) Tom. VIII. pag. 358. Adde: F. C. Schlosser, *Geschichte des achtzehnten Jahrhunderts* cet. Tom. V. (1844) pag. 155. »Der Plan der Kaiserin und Potemkins, oder besser, »ihr Luftschloss, war damals, den zweiten Enkel der Kaiserin, den Grossfürsten Constantin »auf Unkosten der Türken zum byzantinischen Kaiser zu machen...." Sed vide etiam quae habet L. P. Ségur, l'aîné, *Tableau historique et politique de l'Europe depuis* 1786 *jusqu'en* 1796. *Paris, An IX.* (2e *édition*) Vol. I. pag. 83 sqq. Hic, qui Legatus erat eo tempore a rege Galliae ad Catharinam II missus, contendit, ea omnia meram ostentationem fuisse; fatetur autem, semet ipsum, ut alios, ea deceptum esse.

3) Vide quae ad hoc argumentum eleganter scripsit Gustavus de Molinari: *des progrès réalisés dans les coutumes de la guerre*, in *Journal des Economistes, Auguste et Septembre* 1854. [Cf. etiam Henrici Rochussen *Dissertatio Iuris gentium inauguralis, de occupatione bellica bonorum privatorum in bello maritimo. L. B.* 1857; maxime Capite III: *quid belligeranti prosit, hostilis civitatis mercaturam maritimam turbare, secundum Oeconomiae Politicae praecepta.*]

4) H. Tollii *Oratio de fine Statistices, quae vocatur, hodiernae, publice habita die X Iunii MDCCCIX quum in Academia Hollandiae regia professoris statistices hodiernae, artis diplomaticae et historiae belgicae munus auspicaretur. L. B. apud Haak et Socios*, 1809.

5) *Observations upon the United Provinces of the Netherlands. By Sir* William Temple *of Shene in the County of Surrey, Baronet, Ambassador at the Hague and at Aix la Chappelle, in the year* 1668. Usus ego sum editione secunda (correcta et ampliata) quae prodiit sumtibus S. Gellabrand, Londini, anno 1673. Constat haec paginis 279 forma octava.

6) Vide in Praefationis pagina 3. "And as no man's story can be well written till "he is dead; so the account of this State could not be well given till its fall, which "may justly be dated from the Events of last summer (whatever fortunes may further "attend them)...."

7) Continet Libellus Capita VIII:

I. *Of the Rise and Progress of their State.*
II. *Of their Government.*
III. *Of their Situation.*
IV. *Of their People and Dispositions.*
V. *Of their Religion.*
VI. *Of their Trade.*
VII. *Of their Forces and Revenues.*
VIII. *Of the Causes of their Fall in* 1672.

8) Temple, *Observ.* pag. 58.
9) " " " 184.
10) " " " 268.
11) Temple, *Observ.* pag. 214.
12) " " " 221.

13) "Tellurem fecere dei, sua littora Belgae
"Immensaeque patet molis uterque labor.
"Di vacuo sparsas glomerarunt aethere terras
"Nil ubi quod coeptis posset obesse suis.
"At Belgis maria et terrae et natura deorum
"Obstitit, obstantes hi domuere deos."

14) Temple, *Observ.* pag. 153.
15) " " " 152.
16) " " " 154.
17) " " " 151.
18) " " " 152.
19) " " " 157.
20) " " " 155.
21) " " " 156.
22) " " " 209.
23) Temple, *Observ.* pag. 214. sqq.
24) " " " 209.
25) " " " 149.
26) " " " 155.
27) " " " 210.
28) " " " 242. coll. pag. 246.
29) " " " 233.
30) " " " 102.
31) " " " 169.

32) Tales querelas vide in: *Consideratiën over de huydendaegsche Commercie ofte navale negotie, opgestelt bij den Commis Generaal* Mulock *in den jaare* 1688, in *Tijdschrift voor Staathuishoudkunde en Statistiek door* Mr. B. W. A. E. Sloet tot Oldhuis, Tom. X. (1854) pag. 381 sqq. Et in: *Bewijs dat door de hooge belastingen, hier te lande, op eenige Coopmanschappen gestelt, den handel en vertier daarvan wert gediverteerd, en dat daerom d'uytgaende Convoylasten merkelijk behoorden te werden verminderd.* Ibidem Tom. XIII. (1856) pag. 1 sqq., maxime pag. 18. — Aedificationem Curiae Amstelodamensis, inchoatam annò 1648, ad annum 1685 et ultra protractam fuisse docet Wagenaar, *Beschrijving van Amsterdam.* Ed. 8°. Tom. VII. pag. 10 sqq. cf. pag. 20.

33) TEMPLE, *Observ.* pag. 163.
34) " " " 253.
35) " " " 167.
36) TEMPLE, *Observ.* pag. 251.
37) " " " 170.

38) Auctorem habeo P. A. COCHUT, *Law, son Système et son époque*, Paris, 1853, pag. 3. "le dernier emprunt que fit le Grand Roi fut négocié à 400 pour 100. — Pendant les quatorze dernières années du règne de Louis XIV les dépenses avaient absorbé "2 milliards 870 millions: les recettes effectives n'avaient produit que 880 millions." Suspicor tamen hunc scriptorem in errorem duci se passum esse per ea, quae narrat DUTOT, *Réflexions politiques sur le commerce et les finances* (1735): "Voici, par exemple, un "fait véritable que la postérité ne croira pas. Le feu roi, peu de temps avant sa mort, "pour avoir huit millions d'argent comptant, dont il avait un pressant besoin, fut obligé "de se servir du crédit d'un particulier et de ses associés, et de négocier sur la place et "avec des étrangers, pour trente-deux millions de billets ou de rescriptions. Ce n'était "pas là emprunter à quatre pour 100 d'intérêt; c'était donner 400 en obligations pour "avoir 100 en argent:" (Vide locum in editione quam curavit E. DAIRE, in *Collection des Economistes financiers du dixhuitième siècle*, Paris 1853, pag. 867). Caeterum Cf. E. LEVASSEUR, *Recherches historiques sur le système de Law*. Paris 1854. Chap. I. (*Etat des finances à la mort de Louis XIV*).

39) Tristissimam fuisse populi in Gallia conditionem versus finem regni Ludovici XIV testantur multi aequales. Sufficiat laudare: VAUBAN, *Projet d'une dîme royale* (1707); BOISGUILLEBERT, *le détail de la France* (1697) et *Factum de la France* (1707); DUTOT, *Réflexions sur le commerce et les finances* (1735). "La France entière n'est qu'un grand "hôpital désolé et sans provisions" aliquando ad ipsum regem scripsit pius ille Cameracensis Episcopus Fénélon (Cf. LEVASSEUR, l. l. p. 8). Sed et quo tempore ad culmen potentiae et gloriae pervenisse videbatur Ludovicus magnus, valuit illud: "La France acquiert "beaucoup de gloire au-dehors, et dans l'interieur sa misère est extrême" (verba sunt I. Henrici la Salle in praefatione operis: *Recherches sur l'origine, les progrès, le rachat, l'état actuel et la régie de la dette nationale de la Grande-Bretagne; par* ROBERT HAMILTON; *traduites de l'anglais sur la deuxième édition, par* J. HENRI DE LA SALLE, Paris 1817. Diligenter hanc populi historiam (ut ita dicam) *internam* perscrutatus est PIERRE CLÉMENT, *Histoire de la vie et de l'administration de Colbert* cet., Paris 1846, et horribilia refert ipsis allatis eorum temporum documentis. "Qui voudrait croire (exclamat) "aux misères dont on va voir le tableau, si elles n'étaient attestées par des témoins ocu-"laires et garanties par les noms les plus dignes de foi?" (pag. 118). Haec e. g. refert e scriptiuncula quae prodiit, vel potius dicam, suppressa est anno 1662. "ADVIS IMPORTANT.

"La supérieure des carmélites de Blois écrit à une dame de Paris. Nous sçavons "certainement que la misère présente fait un si grand nombre de pauvres que l'on "en compte trois mille dans la ville et dans les faux-bourgs. Toutes les rues résonnent "de leurs cris lamentables; leurs lamentations pénètrent nos murailles et leurs souf-"frances nos âmes de pitié.....

„Les pauvres des champs semblent des carcasses déterrées; la pasture des loups est „aujourdhuy la nourriture des chrestiens; car quand ils tiennent des chevaux, des „asnes et d'autres bestes mortes et estouffées ils se repaissent de cette chair corrompue „qui les fait plustost mourir que vivre.

„Les pauvres de la ville mangent comme des pourceaux un peu de son destrempé dans „de l'eau pure, et s'estimeroient heureux d'en avoir leur soul. Ils ramassent dans „les ruisseaux et dans la boue des tronçons de choux à demy pourris, et, pour les „faire cuire avec du son ils demandent avec instance l'eau de morrue sallée qu'on „respand; mais elle leur est refusée......

„Bref, il n'y a point de jour où l'on ne trouve des pauvres morts dans les maisons, „dans les rues et dans les champs....

„Enfin la misère et la disette se rendent si universelles qu'on asseure que dans les „lieux circonvoisins, la moitié des paysans est réduite à paistre l'herbe et qu'il y a „peu de chemins qui ne soient bordés de corps morts."

Verum est, hoc anno 1662 gravissimam annonam fuisse per totam Galliam. Ita alium locum auctoris nostri recitare iuvabit (pag. 278 sq). „Jamais, il est triste de le dire, la „condition des habitants des campagnes n'a été aussi misérable que sous le règne de Louis XIV, „même pendant l'administration de Colbert, c'est-à-dire dans la plus belle période de ce „règne et au commencement des ces grandes et fatales guerres qui en assombrirent la „majeure partie. Les lettres adressées à Colbert contiennent à ce sujet les révélations „les plus désolantes. Le 29 mai 1675 le gouverneur du Poitou lui écrivait „qu'il avait „„trouvé les esprits du menu peuple pleins de chaleur et une très-grande pauvreté dans le „„pays." A la même date le duc de Lesdiguières, gouverneur du Dauphiné, donnait à „Colbert les détails les plus affligeants sur l'état de cette province. Il faut reproduire en „entier sa lettre, qui répand un jour curieux sur cette époque, si brillante à la surface, mais „où le peuple eut tant à souffrir de la guerre et des fausses mesures de l'administration.

„Monsieur, je ne puis plus différer de vous faire sçavoir la misère où je vois réduite „cette province, le commerce y cesse absolument, et de toutes parts on me vient „supplier de faire connoistre au roy l'impossibilité où l'on est de payer les charges. „*Il est asseuré*, *Monsieur*, *et je vous parle pour en estre bien informé*, *que la plus „grande partie des habitants de ladite province n'ont vescu pendant l'hyver que de pain „de glands et de racines*, *et que présentement on les void manger l'herbe des prez et „l'escorce des arbres.* Je me sens obligé de vous dire les choses comme elles sont „pour y donner après cela l'ordre qu'il plaira à sa Majesté, et je profitte de cette „occasion pour vous asseurer de nouveau que personne au monde n'est plus vérita„blement que moy, Monsieur, votre très-humble et très-obéissant serviteur, le duc de „Lesdiguières (Grenoble ce 29 may 1675)."

„Voici, d'ailleurs, ce qu'on lit dans un mémoire remis par Colbert lui-même à Louis XIV „en 1681:

„Ce qu'il y a de plus important et sur quoi il y a plus de réflexion à faire, c'est *la*

"*misère très-grande des peuples.* Toutes les lettres, qui viennent des provinces, en parlent, "soit des intendants, soit des receveurs généraux ou autres personnes, mesme des évêques."
"Telle était donc à cette époque du règne de Louis XIV la situation de la Gascogne, "du Poitou, du Dauphiné, et probablement de beaucoup d'autres provinces."

40) "In the reign of Charles the Second no provincial town in the kingdom contained "thirty thousand inhabitants; and only four provincial towns contained so many as ten "thousand inhabitants. *The history of England from the accession of James the Second* "*by* THOMAS BABINGTON MACAULAY (Leipzig, 1849) Vol. I. pag. 330.

41) "The real cause of the Dutch invasion of 1688 was financial. The Prince of "Orange had found that the ressources of Holland, however considerable, were inadequate "to sustain him in his internecine rivalry with the great Sovereign of France..... The "Prince came and used our constitution for his purpose: he introduced into England the "*system of Dutch finance.* The principle of that system was to mortgage industry in order "to protect property..... The system of Dutch finance, pursued more or less for nearly "a century and a half, has ended in the degradation of a fettered and burthened mul-"titude." B. DISRAËLI, *Sybil, or the two nations* (Leipzig, 1845) pag. 20 sq. Sed vide, quae tamquam ad haec ipsa monet MACAULAY, *History of England*, vol. I. pag. 284. "There can be no greater error than to imagine that the device of meeting the exigen-"cies of the state by loans was imported into our island by William the Third. From "a period of immemorial antiquity it had been the practice of every English government to "contract debts. *What the Revolution introduced, was the practice of honestly paying them.*"

42) Cf. MACAULAY, l. l. Vol. I. pag. 306, 352, 355, 357, 374. *Lord* MAHON, *History of England from the peace of Utrecht to the peace of Versailles* 1713—1783. (Leipzig, 1854) Vol. VII, pag. 325 sq. 344 sq.

43) VIRGILIUS, *Bucol.* I. vers. 25.
44) TEMPLE, *Observ.* pag. 44.
45) TEMPLE, *Observ.* pag. 130, coll. pag. 124.
46) " " " 141.
47) TACITUS, *de Germania*, Cap. XVI.
48) TEMPLE, *Observ.* pag. 137 sqq.
49) " " " 142.
50) " " " 125 sq.
51) " " " 167.
52) " " " 128 sq.
53) " " " 96.
54) " " " 158 sqq.
55) TEMPLE, *Observ.* pag. 171.
56) " " " 174.
57) " " " 172.
58) TACITUS, *de Germania*, Cap. XIX.
59) TEMPLE, *Observ.* pag. 180.
60) " " " 181 sq.
61) " " " 259 sqq.
62) Cf. annotatio mea n°. 6ª.
63) TEMPLE, *Observ.* pag. 266.
64) " " " 270, 276.
65) " " " 279.

66) "He (Temple) paid court to William at Windsor, and William dined with him at "Sheen." MACAULAY; *Sir William Temple;* in *Critical and historical Essays* (Leipzig, 1850) Vol. III, pag. 237.

67) Vide: *Nederlandsche Staatscourant*, 1855, n°. 169.

68) Vide: *Leydsche Courant*, 1855, n°. 99.

69) ALBERTUS LEONARDUS VAN MIEROP, *Iuris Candidatus*, obiit d. 19 m. Martii, a. 1855, aetatis anno vigesimo secundo.

70) Art. 251 Decreti Regii de Institutione Academica, d. 2. m. Augusti a. 1815.

71) N. C. KIST, *Leerrede over II Chron. XXV*, 9ᵇ. *gehouden in de Pieterskerk te Leiden, den 22 April* 1855 *na het afsterven van den Hoogleeraar Antonie Niermeyer. Te Leiden, bij D. J. Couvée*, 1855.

I. H. SCHOLTEN, [Allocutio ad discipulos] in: *de Morgenster, weekblad tot bevordering van het levend Christendom*, 1855, n°. 150.

C. SEPP, *Een woord ter nagedachtenis van Dr. A. Niermeyer*, in: *Godgeleerde Bijdragen*, 1855, fasc. IV. pag. 514 sqq.

Dr. I. AB UTRECHT DRESSELHUIS vitam Niermeyeri descripsit in: *Handelingen der Jaarlijksche Algemeene Vergadering van de Maatschappij der Nederlandsche Letterkunde te Leiden, gehouden den* 21 *Junij* 1855, pag. 147—160.

72) Cf. AB UTRECHT DRESSELHUIS, l. l. pag. 154. SCHOLTEN, l. l. „Was Niermeyer „op het gebied der N. Testamentische kritiek de eerste man in ons Vaderland....” cet.

73) ANTONIUS NIERMEYER, natus Flardingae d. 2 mensis Septembris anno 1814, parentibus Iohanne Hendrico Niermeyer et Petronella Figée. Postquam, annum agens decimum tertium, gravi morbo affectus fuerat, ex quo tenui et infirma valetudine semper usus est, destinatus est Literarum et Theologiae studiis. Scholas Latinas quae Schiedami sunt frequentabat ab anno 1829 usque ad annum 1833, quo, die 11 m. Februarii, nomen dedit Albo Civium Academicorum in Universitate Lugduno-Batava. Peracto cursu academico Candidatus Theologiae declaratus est d. 9 m. Novembris a. 1837, mox ad SS. Ministerium in Ecclesia Reformata admissus d. 4 m. Octobris a. 1838. Munus ecclesiasticum auspicatus est d. 5 m. Iulii a. 1840 in pago Zeelandiae 's Heer-Arendskerke. Hinc vocationem ad contiguum fere pagum Wemeldingen secuto d. 7 m. Novembris a. 1852, quatriduo post munus Antistitis apud Roterodamenses oblatum est. Sed decreto dato eiusdem anni penultimo die Rex augustissimus Niermeyerum Theologiae Professorem Ordinarium in Academia nostra creavit. Orationem Inauguralem habuit d. 28 m. Maii a. 1853. Diem supremum obiit d. 10 m. Aprilis a. 1855, maligna febri correptus.

Die 2 m. Septembris a. 1842 uxorem duxerat Iantinam Diddens e pago Frisiae Orientalis Bonda. Theologiae Doctorem *honoris causa* eum creaverat Senatus Academiae Lugduno-Batavae d. 14 m. Octobris a. 1850. Socium sibi cooptaverant variae societates doctae in patria, Zeelandica, Leidensis quae literas patrias colit, Ultraiectina quae artes et disciplinas amplectitur, et Hagana, cui nomen a religione Christiana tuenda est.

74) Vide: *Nederlandsche Staatscourant* 1855, n°. 215.

75) Oratio *de Institutione Academica ad futurum Sacrorum Antistitem formandum aptissima*, habita die 7 m. Decembris a. 1855.

76) Vide: *Nederlandsche Staatscourant* 1855, nⁱˢ 147 et 170.

77) Vide ibidem n°. 148. 78) Vide ibidem n°. 127. 79) Vide ibidem, 1856. n°. 4.

80) Iacobus Schuurmans Stekhoven, Hortulanus Horti Academici obiit d. 15 m. Septembris a. 1855. In eius locum suffectus est a Curatoribus Academiae Henricus Witte, d. 1 Octobris e. a.

81) Die 25 m. Novembris a. 1855. Ornate et concinne, ut solet, verba fecit Guilielmus Groen van Prinsterer, Vir Ampl.

82) Cicero, *de Senectute* Cap. III, 9. Vide etiam Cap. VIII, 26. X, 32. I, 2.

83) Pompa celebrata est d. 12. m. Iunii a. 1855. Vid. *Kalendarium Studiosorum* anni 1856, pag. 131 sqq. Cf. *De intrede en huldiging van Karel V tot graaf van Holland binnen Dordrecht, den* 8sen *Junij* 1515, *benevens geschiedkundige aanteekeningen over de personen, die daarbij tegenwoordig waren. Uitgegeven ter opheldering van de maskerade te houden door de leden van het Leidsche Studentencorps in de maand Junij* 1855, *door* W. N. du Rieu, *Secretaris der Commissie tot regeling van den optogt.* (Leiden 1855).

84) Lucretius Carus, *de rerum natura Liber II*, vers. 11 sqq.

ANTONII NIERMEYERI

SCRIPTA EDITA.

Verhandeling over het booze Wezen in het Bijgeloof onzer Natie. Rotterdam bij A. Wijnands, 1840.

Proeve eener bewijsvoering, dat de woorden »zij waren allen bijeen" Hand. II: 1. alleen van de Apostelen te verstaan zijn. (Bijdragen tot de bevordering van Bijbelsche Uitlegkunde V: 1.) 1847.

Iets over de opschriften der Algemeene Zendbrieven van Paulus met betrekking tot derzelver echtheid. (Jaarboeken voor wetenschappelijke Theologie V: I.) 1847.

Verhandeling over de echtheid van den brief van Paulus aan de Efeziërs, door A. Niermeyer, Predikant te 's Heer-Arendskerke. (Werken van het Haagsch Genootschap tot verdediging der Christelijke Godsdienst; sedert deszelfs 50jarig bestaan, VIIIe deel), 's Gravenhage 1847.

De kritiek der Tubingsche school beoordeeld. Vervolg op de Verhandeling over de echtheid enz. 1848.

Mr. da Costa op het gebied der Godgeleerdheid [sine nomine auctoris]. (Gids 1848, no. 10.)

Het hedendaagsche standpunt van de kritiek des N. T. Eene voorlezing van Dr. G. N. Hahn. Naar het Hoogduitsch, met Voorrede, Aanteekeningen en Bijvoegsel betreffende het werkje van Dr. van Vloten, de Tubinger school enz., van A. Niermeyer, Predikant te 's Heer-Arendskerke. Amersfoordt 1849.

De echtheid van Paulus brief aan de Efeziërs oordeelkundig onderzocht. (Gids 1849, n°. 3 en 4.)

Magazijn voor Kritiek en Exegetiek des N. T., uitgegeven door J. ab Utrecht Dresselhuis, Predikant te Wolfaartsdijk, en A. Niermeyer, Theol. Doctor en Predikant te 's Heer-Arendskerke. Schoonhoven 1850, 1851, 1852. Tomi III.

Open antwoord aan Dr. D. Harting over de Glossematheorie. (Jaarboeken voor wetenschappelijke Theologie IX. 2.) 1851.

Verhandeling over de echtheid der Johanneische schriften, door A. Niermeyer, Theol. Dr. en Predikant te 's Heer-Arendskerke. (Werken van het Haagsch Genootschap tot verdediging enz. XIII° deel). 's Gravenhage 1852.

Bijdragen ter verdediging van de echtheid der Johanneische schriften 1852.

De Bijbelsche en de Christelijke Eschatologie. (Gids 1853, n°. 5.)

Afscheidsrede gehouden te 's Heer-Arendskerke op den gedenkdag der Hervorming, 31 October 1852.

Oratio de Theologiae practicae studio, futuro Euangelii ministro prorsus necessario, habita die 28 m. Maii a. 1853. (Annales Academici 1853—1854).

Nagelaten leerredenen. Met Portret. 1855.

Proeve eener navolging van Salomo's Hooglied. 's Gravenhage 1837 [non publice prostabat].

Beschouwing en dichterlijke navolging van het lied der liederen. (Fakkel, Dl. XV.) 1843.

Accedunt Poëmata varia, dissertatiunculae, aliaque scripta minora in Collectaneis et Ephemeridibus dispersa.

ACTA ET GESTA IN SENATU

ACADEMIAE LUGDUNO-BATAVAE.

1855.

Die 7 Iunii. Senatus luget obitum Viri Clarissimi A. NIERMEYER, Professoris Ordinarii in Facultate Theologica, d. 10 m. Aprilis, acuto morbo extincti.

Recitatur decretum Regium d. 26 Maii, quo in locum Viri Clarissimi A. KUENEN, honeste demissi, Adiutor Interpretis Legati Warneriani creatur P. DE IONG, Theologiae in hac Academia Studiosus.

Die 27 Septembris. Literis Curatorum d. 26 m. Septembris nuntiatur Senatui, Professores Ordinarios in Facultate Theologica, decreto Regio d. 10 m. Septembris h. a. nº. 13, esse creatos Cl. A. KUENEN, Phil. Theor. Mag. Lit. Human. et Theol. Doct., Professorem Extraordinarium in eadem Facultate et Doct. I. I. PRINS, Theol. Doct. V. D. Ministrum apud Roterodamenses.

Die 7 Decembris. Vir. Doct. I. I. PRINS munus auspicatus est habita Oratione *de institutione academica ad futurum sacrorum antistitem formandum aptissima.*

1856.

Die 11 Ianuarii. Recitatur decretum Regium d. 1 m. Ian., quo Vir. Doct. IOHANNES BOSSCHA creatur Adiutor praefecti Laboratorio physico.

Candidati quatuor apud Regem edendi, e quibus Rector Magnificus in proximum annum Regis decreto constituatur, designantur Viri Clarissimi:

I. H. SCHOLTEN.
F. KAISER.
I. H. STUFFKEN.
A. E. SIMON THOMAS.

Iubet dein Senatus novum Actuarium creari ex quatuor Viris Clarissimis:

A. E. Simon Thomas.
N. C. Kist.
F. Kaiser.
I. H. Stuffken.

Die 5 Februarii. Recitatur decretum Regium, quo in annum proximum Academiae Rector Magnificus creatur Vir Clarissimus, Iohannes Henricus Scholten.

Rectori futuro Assessores designantur Viri Clarissimi:

I. van der Hoeven.
A. Rutgers.
G. C. B. Suringar.
S. Vissering.

Die 8 Februarii. Rector ad Senatum refert in conventu Curatorum, Rectoris Magnifici et Assessorum Actuarium in proximum annum creatum esse Virum Clarissimum Abrahamum Everardum Simon Thomas.

Rector Magnificus cum Senatu reliquisque Professoribus in Auditorium maius descendit. Actuarius pro concione Regis decretum de Rectore in annum sequentem creato recitat, item novo Rectori additos commemorat Assessores et Actuarium. Rector, adscensa cathedra, orationem dicit: *de conditione patriae nostrae et moribus Batavorum Saeculo XVII e Guilielmi Templii libro Observationum notatis.*

Mox solemnibus verbis deposito magistratu e cathedra descendit.

Novum Rectorem Magnificum Professores deduxerunt et officiosissime salutarunt.

J. J. PRINS

ORATIO

DE

INSTITUTIONE ACADEMICA AD FUTURUM SACRORUM ANTISTITEM FORMANDUM APTISSIMA,

HABITA

DIE VII DECEMBRIS MDCCCLV.

ACADEMIAE LUGDUNO-BATAVAE CURATORES, VIRI NOBILISSIMI, AMPLISSIMI!

QUI HIS AB ACTIS ES, VIR CONSULTISSIME!

ACADEMIAE RECTOR MAGNIFICE!

QUARUMVIS ARTIUM ET DISCIPLINARUM PROFESSORES, VIRI CLARISSIMI!

QUI IURI DICUNDO ET CIVITATI REGUNDAE PRAEESTIS, VIRI INTEGERRIMI!

SACRORUM ANTISTITES, VIRI PLURIMUM VENERANDI!

ARTIUM ET DISCIPLINARUM DOCTORES, VIRI DOCTISSIMI!

HUIUS ACADEMIAE ALUMNI, COMMILITONES EXOPTATISSIMI!

QUOTQUOT DENIQUE ADESTIS, CIVES, HOSPITES, SUO QUIQUE LOCO, ORDINE ET DIGNITATE SPECTATISSIMI!

AUDITORES HUMANISSIMI!

Aut ego fallor mirifice, aut nullum est Sacrorum antistitis munere gravius, utilius nullum. Quod si quis ambitiosius aut gloriosius a me dici opinatur, cui per septemdecim annos et amplius munere illo in Reformatorum ecclesia fungi contigit, is secum et consilium eius reputet et amplitudinem. Rei Christianae pro viribus prospicere, Ecclesiae commoda sancte curare, laetum salutis, per CHRISTUM partae, nuntium ad homines peccato miseros perferre, totum Dei ad beandum genus humanum consilium pro concione exponere, ritus ceremoniasque sacras in aedibus Deo dicatis administrare, pueros hominesque rudiores exercitiis, quae dicuntur, catecheticis ad sinceram Euangelii professionem praeparare, singulos coetus socios, divinitus sibi commissos, pro varia eorum indole, aetate, conditione prudenter admonere, corrigere, consolari omnique cura id agere, ut ad vitam vere Christianam perducantur atque ita a peccato eiusque miseria

6

liberentur Deoque reconcilientur: quis tandem est, Auditores! qui haec omnia ceteraque huc pertinentia non maxima putet et ad patriae hominumque generisque adeo humani salutem promovendam efficacissima? O terque quaterque beatum mortalem, qui, auspice Deo, ad exemplar primogeniti, quem nobis dedit, eius Filii, aliis salutis auctor et suasor ac veluti dux existit ad vitam aeternam eamque beatissimam! Profecto, summi Pauli Apostoli effatum est fide dignum: „Si quis episcopatum appetit, „ad bonum opus adspirat."

Iam vero ad hoc tale tantumque munus bene gerendum futurum Sacrorum antistitem quovis meliori modo formandum et instituendum esse, inter omnes huius rei peritos, nostra quidem aetate, satis constat. Fuerunt sane inter antiquos Teleiobaptistas, et sunt fortasse etiamnunc, qui unumquemque hominem Christianum, dummodo aliquem rerum usum et non nimis vulgarem doctrinae Christianae cognitionem cum pietate coniungeret, ad obeunda muneris illius officia satis idoneum haberent. Et Quakeros notum est verbi divini ministris, proprie sic dictis, adeoque veri nominis Theologis, pro instituti ratione, facile carere, ita ut sine his suam Ecclesiae familiam tueri conentur. Sed ne Quakeros amplius curem, quippe quorum magis laudanda sit animi pietas morumque integritas quam Ecclesiae docendae ac regendae sapientia, recentiores certe Teleiobaptistae, antiquo errore reiecto, Theologiae disciplinam ad bene gerendum munus sacrum omnino necessariam esse, non verbis tantum pronuntiarunt, sed et re factisque palam ac publice ostendunt. Quid? quod et hodierni in patria nostra, qui dicuntur, Separatistae, postquam per aliquot annos cerdonibus, sutoribus aliisque eiusdem notae hominibus indoctis tanquam doctoribus usi fuerunt, iam sapienti consilio, ut scilicet res suas melius curarent, scholam condiderunt qualemcunque Theologicam, unde novum prodeat, magis cultum ac politum, antistitum Sacrorum genus. Nec mirandum sane. Quamvis enim ad munus suum veluti natus sit oporteat Sacrorum antistes variaeque in eo requirantur mentis animique dotes haud vulgares, vel sic tamen ipse non nascitur, sed fit. Doctrina vim promoveat insitam prorsus necesse est, et sine diligenti exercitatione naturalis parum valet ingenii bonitas. Quo gravius porro et utilius est, de quo dicimus, munus et quo plura sunt et graviora eius officia, eo mi-

nus illotis, quod aiunt, manibus illud aggrediantur oportet, quotquot illi totos se dicare gestiunt. Quin et de quorumdam mediocritate non valde desperandum est, dummodo apta institutione ad optima quaevis et praeclara appetenda evehantur.

De his igitur inter omnes, longa experientia edoctos, satis constat. At ubi iam de apta illa, qua opus est, futuri Sacrorum antistitis institutione accuratius definienda agitur, multum inter se dissentiunt. Has vero diversas sententias, sibi invicem plus minusve oppositas, omnes hic recensere longum est; nonnullas tamen, potiores saltem, breviter memorare ab hoc loco alienum non videtur. Haud prorsus enim desunt, qui tantam esse optimorum cuiusque generis de disciplina nostra librorum copiam arbitrentur, ut in scholis haud amplius tractetur necesse sit: quos libros si iuvenes domi legant et diurna versent nocturnaque manu, satis docti evadant et probabiles verbi divini interpretes. Nec novum quid et inauditum proferunt, qui ita loquuntur. Fuisse iam in alma hac Musarum sede accepimus, Ruhnkenii et vero, qui hunc praecessit, Hemsterhusii quoque aetate, qui historiam libris legendis rectius disci perhiberent, quam adeundis Professorum scholis. „Solitus erat Hemsterhusius", ut eius utar exemplo, „historiam reipublicae Batavae enarrare, tanta audientium multitudine et adprobatione, ut illa non solum historiae, sed et prudentiae „civilis institutio haberetur; at Wagenarii de historia patriae opere edito, „paulatim deficientibus ad id, quod, ut quidem putabant, iam editum „legere possent, studiis, illae Hemsterhusii scholae vacuae relinquebantur". Ita quidem de Hemsterhusio eiusque seculi, quam vocat, perversitate Wyttenbachius in celebrata illa, quam edidit, Ruhnkenii praeceptoris vitae enarratione. Quem tunc temporis recentem errorem ad haec nostra usque tempora non tantum permanasse, sed et, quod de fama dici solet, crevisse eundo, vehementer sane dolendum est. Falluntur enim egregie, me quidem iudice, qui librorum usum domesticum lectionibus publicis frequentandis praeferunt, nec sua bona norunt cives Academici, qui has lectiones negligunt, ne pereant scilicet domestica illa studia. Quae quidem studia longe abest, ut parvi faciam aut supervacanea existimem, quandoquidem sine sedula exercitatione privata, adhibitis, quae praesto sunt, doctrinae adminiculis, ne optima quidem quidquam prodesse potest

publica institutio. Sed idem fidenter affirmare ausim, in futuro Sacrorum antistite longe plura et prorsus alia etiam requiri, quam quae sibi per librorum usum parare possit Theologiae studiosus. De quibus si me interrogaveritis, habeo quod respondeam. In eo enim non doctrinae veluti farrago requiritur, undecunque conflata et coacervata, sed ipse doctrinae ope excolendus est et quasi nutriendus homo eius interior. Acuendum est ingenium et mens collustranda et vero etiam commovendus animus atque ita dirigenda et ad omne, quod pulcrum, bonum verumque est, omni virium intentione sectandum flectenda voluntas, ut, penitus ipse intus excultus et informatus, homo tandem reddatur vere humanus idemque vere Christianus. Haec autem veri nominis institutio sive, ut apud PLATONEM dicitur, *τροφὴ καὶ παιδεία* doctorem requirit peritissimum ac prudentem, qui tirones, suo cuiusque convenienter ingenio, benigne excipiat doceatque et doctrina, monitis, consuetudine, exemplo illum boni verique flagrantem amorem studiumque indefessum in discipulorum animis excitet alatque perpetuo. Talem vero in eos vim efficacissimam habere posse libros illos, quibus tanquam inanimis et mutis utuntur magistris, mihi sane, quidquid sibi persuadent alii, prorsus incredibile est. Qua de re mecum sentientes haud pauci in omnia contraria ruunt. Scholas condendas esse clamitant et aperienda angustiora, quae dicuntur, seminaria, ubi una viventes ad certum definitumque modum erudiantur et exerceantur generosi iuvenes, ad munus Sacrum destinati; haec autem seminaria ita esse ordinanda, ut ne a recto tramite vel latum unguem deflectant studiosi, summa cura caveatur; propterea quoque haud aliam, quam quae ad symbolorum normam diligenter exacta et Ecclesiae auctoritate sancita sit, ibi tradendam et fere eorum animis insculpendam esse doctrinam Theologicam; quin et strictis agendi vivendique regulis observandis assuefaciendam esse imperitam et temerariam eorum iuventutem et severa morum disciplina coërcendam esse eius petulantiam atque ita domanda libera eorum ingenia. Quam quidem opinionem ne quis verbis a me exaggerari putet, Jesuitas testor aliosque iis haud dissimiles Ecclesiae Romano-Catholicae doctores, qui magna quidem eruditionis mole refercire solent discipulorum memoriam et intellectum, at simul ingenium opprimunt et, de cura animorum parum solliciti, ita eos fingunt et exercent, ut haud secus atque iumenta ad ve-

hendum trahendumve et canes ad venandum exerceri videantur. Nec desunt, eheu! nostra saltem aetate, inter variarum familiarum Protestantes, qui simile quid prae liberaliori institutione Academica in votis habeant. Sed nulla potest, nisi fallor, in rem Christianam capitalior pestis importari, quam huiusmodi illiberalis agendi ratio, cui vel effrenatam studiosorum licentiam paene praeferendam duxerim. Quid? quod ne praeclaro quidem institutionis, quam descripsimus, nomine abutendum est, ubi de talibus, quibus ipsa subvertatur humana natura, sermo est. Iam vero si inter has fere oppositas hominum opiniones media quaedam ineunda via est, quam tenuisse dicuntur beati, ultro se nobis offert memorata illa Academica institutio, quam a maioribus nostris, viris prudentissimis, traditam accepimus. Est enim, sapienter adhibita, institutio veri nominis, nec tamen aliud quid quam mera institutio. Et hanc quidem eos institutionem ad futurum Sacrorum antistitem formandum longe aptissimam habuisse, vel inde licet suspicari, quod in condendis Academiis Ecclesiae maxime salutem ob oculos habuerint. Voluerunt enim, ut hic et alibi cum aliis disciplinis bene multis praesertim Theologiae disciplina, tanquam in sede tranquilla et opportuna, habitaret et excoleretur strenue, unde quotannis bene praeparati prodirent Sacrorum antistites, vero ingenii animique cultu commendabiles. Cuius rei egregium habemus atque omni dubitatione maius documentum historicum in literis, a GULIELMO I, principe Arausiaco, ad illustrissimum huius Academiae senatum missis de DANAEI negotio, anno MDLXXXII, ubi „mihi sane," inquit, „cum primum auctor essem „instituendae scholae, illud inprimis propositum erat, ut studii Theologici „prima et summa haberetur ratio." Quod idem de ceteris omnibus valere postea conditis in patria nostra Academiis, vix est, quod moneam. Haec autem de institutionis Academicae in Ecclesiam vi saluberrima, per longam annorum seriem usu comprobata, opinio ita invaluit apud nostrates, ut de alia Sacrorum antistitis formandi ratione ne cogitaverint quidem et a condendis, quae diximus, seminariis Theologicis omnes hodieque abhorreant Theologi liberaliores. Imo vero nuperrime lege apud Reformatos ecclesiastica denuo sancitum est, neminem prorsus ad munus sacrum, instituto examine, rite promoveri posse, nisi qui per tres quatuorve annos, probantibus Professoribus, Academiae studiisque in Academia Theologicis dili-

gentem operam dederit. Audiuntur tamen, ut iam significavi, hac nostra aetate, hic illic obloquentium et nova molientium diversae voces. Quibus equidem motus, et personae meae et aetati et vero etiam muneri, quod hodie suscipio, gravissimo optime convenire ratus sum, hac utens solemnitate, antiquam illam, nec tamen antiquatam, de Theologorum institutione Academica, omni alii longe praeferenda, sententiam pro viribus ita probare, ut de eximia eius bonitate et utilitate nulla superesse possit dubitatio. Unde simul vobis omnibus, qui, Academiae Ecclesiaeque nostrae bene cupientes, hic adestis, satis superque patere possit, et quid de Academico meo munere sentiam, et quomodo illo fungi apud animum meum constituerim. Dicam igitur de institutione Academica, ad futurum Sacrorum antistitem formandum aptissima.

De hoc vero argumento in tanto Eruditorum consessu dicturo, prae omnibus aliis vestra mihi indulgentia imploranda est, Auditores humanissimi! meae quippe tenuitatis probe mihi conscio. Cogitate, quaeso, si forte minus bene et copiose et eleganter verba fecerim, me ad hunc usque diem, quoties ad dicendum prodirem, una usum fuisse lingua vernacula et praeterea quam plurima mihi deesse, quibus tantis viris quodammodo placeam! Impense laetabor, mihi credite, si vobis, sin minus doctrinae copiam ingeniique acumen, at industriam certe et diligentiam et veri bonique amorem meum satis approbaverim. Itaque animis auribusque faveatis!

Institutionem Academicam hoc praesertim nomine laudaturus, quod ad futurum Sacrorum antistitem formandum longe aptissima sit, statim in controversiam incido, hisce diebus agitatam, utrum in Academiis nostris Theologiae locus suus honosque in perpetuum constare debeant necne. Nimirum medio, quod dicitur, aevo, cum penes clericos et sacerdotes omnis paene esset literarum artiumque cultura, in Theologiam tanquam reliquarum reginam principatus delatus est; recentioribus vero temporibus se eo magis magisque orbari aut etiam subinde omni in disciplinis loco excludi vidit. Imo eo perventum est, ut eam reliquarum cognatione eximendam sibique solam relinquendam esse vociferati sint in patria nostra

non impii tantum et turbulenti novatores aliquot, sed viri etiam honoratiores et eruditionis laude conspicui. De qua quidem quaestione quominus multa disputem — nam cum iis mihi rem esse haud diffiteor — otium fecit HENGELIUS noster, in otio suo meritissimo minime etiamnunc otiosus. At lubet tamen, praeeunte eo, nonnihil in medium proferre, quo disciplinae illius, cui nomen dedi vitamque dicavi, iura ab omni impetu quodammodo saltem Academiae vindicem. Theologia enim, quod haud facile quis negaverit et vel ipsius nomen arguit, doctrina est, proprie sic dicta, quae, haud secus ac reliquae omnes, quae in Academiis traduntur, suis ipsa viribus nitatur, suis e principiis pendeat, suas in partes dividatur atque ad certam definitamque disciplinae normam ab omnibus excolatur germanis Theologis. Fateor equidem, me, ita loquentem, non illam mihi velle Theologiam scholasticam, quae quondam nostris in scholis doceretur, vanissima quadam doctrinae specie indutam illam formulisque, quae dicuntur, artificialibus involutam, imo controversiis quam maxime futilibus litibusque sterilibus ita refertam, ut ad nullam prorsus aliam rem utilis esse videretur, nisi ad alendum, quod in proverbium abiit, odium Theologicum. Sed hanc mihi volo, quae inde a medio seculo praecedenti culta est et iam viget floretque veri nominis Theologia. Haec igitur, in qua explicanda ornandaque multi desudarunt desudantque adhuc ingenii subtilitate et doctrinae copia insignes viri; haec, inquam, de Deo rebusque divinis doctrina, ad Ecclesiae Christianae hominumque salutem apprime composita, inter reliquas omnes, quae coluntur, varii generis disciplinas locum suum et merito obtinere et iure suo sibi vindicare omnino videtur. Iam vero si „esse omnium illarum artium, quae ad humanitatem pertinent, commune „aliquod vinculum doctrinasque omnes quasi cognatione quadam inter se „contineri" cum TULLIO verissime dicatur, quid tandem est, quod ab Academiis nostris una arceatur Theologia et vel exsul vagari vel in suis tantum seminariis solitaria habitare cogatur? Quam iniquam eius sortem et Academiarum nostrarum et vero ipsius religionisque, quam profitemur, sanctissimae causa lugeremus vehementissime. Academiam vobis fingite Lugduno-Batavam, quae princeps omnium in patria nostra dici consuevit et hoc suo nomine ad hunc usque diem non immerito gloriatur, eam fingite vobis, Theologorum luce haud amplius collustratam! Habetis iam,

quam dicitis, Universitatem, in qua scilicet historia enarretur universa, historia vero ecclesiastica, quae cum ea intime cohaeret, non item; in qua omnis strenue tradatur philosophia, summa vero eius pars, quae de Deo agit et Theologia dicitur Naturalis, non item; in qua — ne plura excitem — Graecae Latinaeque et vero Orientales summa cura colantur literae totiusque antiquitatis grammatice explicentur, quae supersunt, monumenta, quin et ipse Koranus, Arabum liber sanctissimus, Sacra vero Novi Veterisque Testamenti scripta, quae ipsam Dei patefactionem, scripto nobis consignatam, et rei Christianae initia ipsiusque adeo divinae veritatis normam atque obrussam continent, non item! Quorsum haec? Nimirum ut intelligatis, Auditores! quantopere Academiae intersit, suum inter bonarum artium doctrinarumque cultores Theologis constare locum. Nec tamen nego, illa a me praesertim in Theologorum ipsiusque adeo Theologiae favorem disputata esse. Haec enim, quod haud infima eius laus censenda est, haec, si qua alia disciplina, utut sui iuris, ceterarum tamen tantum non omnium subsidia sibi quaerit easque sibi in auxilium vocat quotidie humanique nihil prorsus a se alienum putat, etiamsi res maxime divinae eius curae commissae sint. „Omnia vestra sunt", ita PAULUS Apostolus ad omnes CHRISTO fidem habentes: quod eius dictum praeclarum de Theologis inprimis valet vere Christianis, quippe quorum nemo nomine suo dignum se praestiterit, nisi liberaliorum artium literarumque humaniorum cognitione probabiliter tinctus fuerit. De literis autem humanioribus studiisque, quae dicuntur, Theologorum propaedeuticis vix est, quod dicam: adeo in oculos incurrit, haec prorsus ei necessaria esse, qui in Theologicis vitae suae tabernaculum collocare cupiat. Sed dici non potest, quantum ei Matheseos, Historiae Naturalis, Physices et Astronomiae elementa aliaque plura eiusmodi nosse profuturum sit, simul atque ipsi adeo Theologiae operam suam navare inceperit. Nec Semiticarum dialectorum aut Philosophiae, quae dicitur, Theoreticae eiusque inprimis partis Anthropologicae studium a Theologo sine gravi negligitur rei suae detrimento. Quin nihil fere docendo traditur in Academia, quod non ad futurum Sacrorum antistitem exornandum informandumque aliquatenus saltem conducat. Quod non tantum de variae eiusque fructuosissimae doctrinae copia, quam sibi ita acquirat, a me dici putetis, quamquam et hoc non nihili pendendum

est; sed id inprimis mihi volo, eum per illarum cultum artium disciplinarumque ad quaevis bona et honesta et sublimia cum intelligenda tum appetenda institui. Et literis quidem, ut in confesso est, ad omnis elegantiae et humanitatis sensum excolitur et in antiquitate quasi habitare assuescit. Deinde in quorumvis philosophorum scholis res et quae oculis subiectae sunt et quae mente sola comprehenduntur, indagare, discernere, diiudicare discit, ita ut ad verum ubivis cernendum acer fiat et acutus mentis eius veluti oculus. Quibus denique dotibus si germanum illud veri studium, quod *φιλοσοφίας*, proprie ita dictae, nomen gerit, in eiusdem animo excitatum accesserit, quae non praeclara de tali tamque exercitato iuvene eiusque in Theologia progressibus augurari licet! Hanc vero regiam ad nostram disciplinam inire viam, quî tandem, obsecro vos, futurus poterit Theologus, simul ac temerariis quorumdam conatibus id effectum erit, ut Theologiae eiusque studiosis suus in Academia locus denegetur? Sed ut ad hunc usque diem iis non denegatum esse locum illum ex animo gaudemus, ita et ne in posterum ullo modo denegetur, votis optamus ardentissimis, omnem omnino Academicam institutionem ad futurum Sacrorum antistitem informandum aptissimam habentes.

Hisce iam pro orationis consilio breviter disputatis, age, ipsam, qualis in Academia traditur, Theologiae doctrinam ita contemplemur, Auditores! ut hanc quam maxime ad illam, quam dicimus, Sacrorum antistitis informationem valere, luce nobis clarius appareat! Et de universa quidem Theologia hîc mihi sermonem esse facile intelligitis. Nam quamquam, pro ingeniorum diversitate, alii aliam eius partem sibi eligant, quam in deliciis habeant et in qua maiorem prae ceteris ponant operam, vel sic tamen nemo Theologus dici potest, nisi singulas laudabiliter calleat disciplinas Theologicas. Adeo enim inter se cohaerent et unum quasi corpus constituunt, ut haec illave pars haud sine gravi negligatur ceterarum detrimento. De quibus Theologiae partibus enucleate coram vobis dicere supersedendum mihi videtur. In vulgus enim notum est, tres quatuorve hodie distingui atque in suas denuo particulas dividi. Habet sane, quo se commendet tripartita Schleiermacheri distributio, quem suo quisque modo secuti sunt Rosenkranzius, Peltius aliique recentiores. Nec tamen scio, an non antiquior quadripartita, quippe simplicior et facilior et erga exegeticam

disciplinam multo aequior, praeeuntibus Nösselto, Stäudlino, Schmidtio, Planckio, Clarissio nostro, Hagenbachio, aliis, longe praeferenda sit. Est saltem inter nostrates divulgata et celebrata maxime. Cuius rei nobis testis est Koopmansius, vir clarissimus, qui, ante hos quinque et viginti annos, oratione sua inaugurali, Amstelodami habita, egregie docuit, ex interpretatione, historia, philosophia omnem constare Theologiae disciplinam eamque hoc nomine prorsus literariam dicendam esse. Quibus tamen nisi pars addatur, quam prae ceteris practicam appellare solent, quaeque, his maxime diebus a Muurlingio inter nostrates exculta et a Niermeyero, decessore meo, commendata, Theologiam, quae dicitur, catecheticam, homileticam, liturgicam, pastoralem, politico-ecclesiasticam complectitur, ne plenam omnis omnino Theologiae descriptionem habere existimetis! Neque putetis, quaeso, hanc practicam Theologiam ad Sacrorum antistitem futurum formandum unice valere, ceteras vero non item. Imo vero sine ceteris omnibus ne rite excoli quidem, nedum exerceri potest practica illa Theologiae pars, quae et ipsa, quamquam de praxi agit ecclesiastica, tota theoretica est, unde reliquarum omnium caput et consummationem eam fere dixeris. Sed hoc mihi volo, Theologiam exegeticam, quae critica et grammatica Veteris Novique Testamenti librorum interpretatione constat, et historicam, quae rei Christianae initia, progressus, vicissitudines hodiernumque eius statum enarrat, et philosopham sive systematicam, quae in exponenda versatur religionis Christianae doctrina cum dogmatica, tum ethica, haud minus atque practicam illam ab eo colendas esse, qui munere Sacro aliquando fungi in votis habeat. Quod simulac muneris illius, orationis initio breviter descripti, officia vobis in memoriam revocaveritis, mecum ipsi perspicietis continuo. Quid enim Sacrorum antistes? Rem Christianam promovendi, Sacram Scripturam coram populo explicandi, religionis sanctissimae doctrinam, veram illam puramque, tradendi, illustrandi, defendendi, indoctos quoscunque erudiendi, eruditos in fide Deo Christoque habita confirmandi, errantes reprehendendi, afflictos miserosque consolandi, omnes omnino ad vitam vere Christianam cohortandi, verbo dicam, docendi provincia ei in Ecclesia demandata est. Hanc autem docendi provinciam suscipere eamque administrare, nisi ipse rem Christianam probabiliter edoctus sit, nemo potest.

Requiritur prorsus, ut quam Christo debemus, unigenito Dei filio eidemque homini perfectissimo, religionem eiusque in homines vitiosos vim efficacissimam, qua, peccato eiusque miseria liberati, in Dei Patris communionem filiorum instar redeant, bene sibi cognitam et perspectam habeat atque in usus practicos convertere possit. Nec tamen perspectam potest habere, nisi per genuinam librorum Sacrorum interpretationem et accuratum historiae ecclesiasticae studium ad cognoscenda nostrae religionis placita dogmatica et moralia eiusque nativam indolem prorsus divinam probe perspiciendam, philosophorum more, felici cum successu pervenerit. Ne dicam, hac sola eaque regia via eum de religionis Christianae veritate ita sibi penitus persuadere posse, ut eam aliis commendare et inculcare voce, exemplo vitaque omni haud facile desistat, quippe vim eius salutarem ipse in diem magis expertus.

Iam vero, Auditores! si haec recte quidem a me dicta sunt, de institutionis Academicae utilitate et vero etiam necessitate, quoad Theologiam a futuro Sacrorum antistite discendam, vobis persuadere, facilis, ut videtur, res est. Haec enim, ut paucis eloquar quod sentiam, docta est et liberalis et practica institutio.

Et docta quidem propterea dicenda est, quod nullum omnino doctrinae apparatum usumque respuat. In exegeticis utrumque Veteris Novique Testamenti codicem, alterum Hebraeo, alterum Graeco sermone conscriptum, omni studio explorat eiusque singulos locos critices ope in integrum restituere et secundum certas Hermeneutices regulas, grammatica subtilitate adhibita consultoque loquendi usu, ita intelligere conatur, ut et in libros ipsos eorumque auctores prudenter inquirat ipsumque, quod continent, argumentem strenue investiget. In historicis deinde ipsos adit vel abditissimos fontes, unde res olim gestae cognoscantur, nec res tantum gestas earumque causas perscrutatur, sed et qui in iis prodeant, homines populosque Christianos diiudicat et quae decreverint dogmata, nec non quos celebrarint ritus ceremoniasque sacras critice enarrat et quam in eos vim habuerit religionis illud institutum, quod Ecclesiam appellant, veluti digito commonstrare nititur. In systematicis porro, quae dicuntur, religionis Christianae doctrinam dogmaticam atque ethicam, ad normam Euangelii, suis e principiis deducere, ad philosophorum subtilitatem exigere, dilucide

per partes exponere eiusque et divinam originem et maximam etiam gravitatem evidenter collustrare sibi habet propositum. Quibus denique Theologiae accedit pars illa, quam iam descripsimus, practica, quae doctam omnino et philosopham muneris Sacri eiusque officiorum expositionem continet, ad disciplinae, proprie sic dictae, normam probe exactam. Videtis igitur, quo iure docta vocetur, imo doctissima Academica institutio! „Quid vero," ita forte quis mihi obiiciat, „haec omnia, quae enumeras, „quid ad munus Sacrum rite peragendum? Nocet, ut in proverbio est, „omne nimium. Est modus in rebus, neque omnia possumus omnes. „Iam ubi pueri tantum indoctique homines instituendi sunt et aegrotantes „spe futuri erigendi atque res Christiana, Apostolorum more, ad captum „vulgi scilicet, exponenda et commendanda est, simplex sufficit et popula„ris, quam vocant, doctrinae religionis cognitio. Tu igitur, o bone! doc„tiora illa Theologis relinquas, ne vero futuros doceas Sacrorum antistites, „quippe abstrusiora et nihil ad vitam afferentia." Audio. Neque sane is ego sum, qui Theologiam, strictiori sensu ita dictam, coram concione tradendam et controversias scholasticas apud indoctum vulgus movendas esse putem. Imo dici vix potest, quot quantaque illa Theologiae cum ipsa, quam tractat, religione permutatio in rem Christianam damna intulerit. Sed idem hoc mihi persuasissimum habeo, ad haec duo, quae toto coelo distant, probe distinguenda atque ad rem Christianam quovis meliori modo promovendam bene instructos et Theologice eruditos requiri doctores Ecclesiasticos. Docet res ipsa, vel me tacente, haec tantum doceri et pro concione copiose tractari et ad omnem hominum temporumque rationem ea, qua par est, prudentia accommodari posse, quae quis sibi ab omni parte perspecta habeat et ipse pertractando revera sua fecerit. Testatur etiam omnis aevi historia, quae veritatis testis dici consuevit, quo tempore neglecta iaceat Theologia, eodem languescere ac veluti torpore hebetari vitam in Ecclesia vere Christianam, contra vero, ea denuo culta atque exornata, religionem etiam ipsam effloruisse. Et nostra quidem tempora tantam attulerunt de rebus, ad religionem pertinentibus, opinionum diversitatem, tantasque pepererunt inter partes varias, in quas divisa est et dilacerata una Christi ecclesia, rixas altercationesque, tamque vehementem patiuntur adversariorum quorumlibet in rem Christianam impetum, ut antistites sibi

efflagitent, nec quavis doctrinae veluti aura commotos et exagitatos, nec probabili variae eruditionis copia carentes, sed ad religionem sanctissimam tuendam probandamque ab omni parte promtos atque paratos. Quare rationem ita concludimus, aptissimam esse institutionem Academicam, quippe doctissimam.

Nec tantum docta dicenda est, sed et liberalis, quam laudamus, institutio. Ab initio inde haec exoptatissimae liberalitatis nota nostris propria fuit Academiis, quippe cum renata libertate ortis. Postquam pro iure ac pro religione arma sumserant maiores nostri, hanc condiderunt in Hollandia non scholam, sed Academiam, in qua omnes colerentur ingenuae artes ac disciplinae, eamque ipsa institutionis lege appellarunt "liberam et "publicam." Noverant enim pro ea, qua erant, prudentia viri sagacissimi, doctrinam quamcunque, nisi libere colatur, bene coli non posse et vi illatam nullam in quoquam fore vigentem stabilemve. Atque haec, quam proclamarunt, libertas Academica non in forma tantum et constitutione, sed magis etiam in docendo discendoque posita est. Docent ea, ad quae docenda maxime vocati sunt, doctores, qua quemque libet ratione, nec tamen aliis, quae praeterea utilia ducunt, abstinere coguntur, neque etiam ad audiendum frequentandumque studiosorum quisquam cogitur. Omnes libere vivunt atque in studia libere incumbunt, prouti fert animus. Hoc igitur nomine a scholastica prorsus differt Academica institutio, ita ut quod in pueris necessarium sit, in iuvenibus, ad quamdam aetatis maturitatem provectis, servile habeatur. Sine qua libertate, quam tamen cave ne cum licentia quavis confundas, aut fallor equidem, aut nulla prorsus cogitari potest veri nominis institutio. Neque est, Auditores! quod Ecclesia Christiana hanc in futuris suis antistitibus informandis libertatem aegre ferat eamque gravetur. Est enim ipsa liberrimum Dei hisce in terris institutum, ab omni servitutis specie alienissimum atque ad veram inter homines promovendam libertatem apprime compositum. Et tales inprimis sibi exoptat in diem magis antistites et doctores, qui non quae sibi tradita et a patribus accepta habent religionis Christianae placita memoria tantum teneant et sua vice tradant aliis, aut in verba magistri cuiusdam qualiscunque tandem iurare consueverint, sed qui, praeiudicatis opinionibus vacui, ipsam religionis doctrinam puram et intaminatam e limpido Sacri

Codicis fonte hauriant et ex ipso optimi Servatoris eiusque Apostolorum ore exceptam ad populum ferant Christianum. Quod de Protestantium, qui dicuntur, et Reformatorum adeo Ecclesiae familia, quidquid contradicunt alii, ita valet, ut haec, demta, quam strenue propugnavit et qua merito gloriatur, cogitandi explorandique libertate, sibi suisque principiis constare prorsus nequeat. Nec profecto metuendum est, ne religio ipsa, quam profitemur, Christiana huius libertatis abusu labefactetur quodammodo et hisce in terris exstingui possit. Est enim indole sua atque origine prorsus divina suaeque ipsa divinitatis in animis hominum testis atque vindex. „Vera fides amat libertatem," ita iam ante tria secula et amplius praestantissimus ANGELUS MERULA, cui, quo magis de religionis Christianae veritate nobis penitus persuasum est, eo alacrius toto animo assentiemur. Nimirum tanta est veritatis coelestis vis et efficacia, ut, libere explorata, luce splendeat continuo maiore ac, veluti aurum argentumve a vilioribus metallis, eo dignoscatur facilius. Ita in ipsius maxime Ecclesiae salutem omnis illa cedit Academica institutio, quam ad informandos Sacrorum antistites aptissimam praedicamus, quippe non doctissimam tantum, sed et liberalem, quin etiam liberrimam.

Denique propterea quoque, quod practica est, institutionem commendamus Academicam. Quo dicto non hoc sane mihi volo, Theologiam in Academia tantum utilitatis causa doceri et in Ecclesiae continuo usum convertendam esse. Vereor enim, ut, quae unice ad utilitatem spectat, et vere docta sit et vere liberalis Theologiae disciplina. Nec Theologiae etiam, quae dicitur, pars practica mihi tantum, haec dicenti, versatur ob oculos, quam revera mere theoreticam esse iam significavi. Sed ideo practicam dicimus institutionem nostram Academicam, quod quae futurus Sacrorum antistes cognita sibique perspecta habere debeat, ibi cuncta tradantur, et ita quidem tradantur, ut ea in suos ipse usus convertere possit iisque mente animoque ipse excolatur et ad obeundum munus Sacrum, quantum fieri potest, praxi etiam exerceatur. Qua in re nostras multum iis praestare, quae in Germania habentur, Academiis, notissimum est. Ibi enim Theologiae docendae provincia doctoribus plerumque demandatur, schola tantum librorumque lectione eruditis, non autem vita hominum Ecclesiaeque usu exercitatis, neque ullum fere, quatenus Theologiam profi-

tentur, cum Ecclesia commercium habentibus. Unde fit, ut seminariis, quae vocantur, homiletico-practicis huic malo medelam afferre conentur, quotquot Ecclesiae consulunt. Apud nos vero longe alia res est, neque eiusmodi magnopere desideramus seminaria. Ad Theologiam enim in Academia docendam hic, vulgo duntaxat, ii tantum vocantur, qui per aliquod vitae tempus pluresve adeo annos muneris Sacri obierunt officia et praxin ipsi exercuerunt Ecclesiasticam. Iam ab his iure quodam exspectari potest, Ecclesiae iis quam maxime salutem curae cordique esse eosque nihil magis docendo quaerere, quam ut in Ecclesiae usum erudiantur et exerceantur futuri Sacrorum antistites. Cuius gravissimi eiusdemque fructuosissimi officii praestandi ita sibi erat conscius praestantissimus noster NIERMEYERUS, quem unum e mortuis exempli gratia nominasse sufficiat, ut hoc in institutione sua nunquam negligere sibi firmiter animo non proposuerit tantum, sed et fide interposita coram vobis, hoc ipso e loco, spoponderit publice. Cuius ego, pro tenuitate mea, insistens vestigiis, nihil etiam prius habebo aut antiquius, quam eo eniti, ut non tantum eruditi, sed et exculti CHRISTIque amore penitus imbuti atque bene exercitati e schola mea prodeant Ecclesiae doctores. Qua in re haud facile omne me tulisse punctum existimaverim. Namque ea, ni fallor, vivimus tempora, quibus practica haec institutionis Academicae pars omni modo excolenda sit et promovenda, ut ne muneri suo gravissimo prorsus impar sit, quicunque, peractis studiis Theologicis, ad populi Christiani commoda curanda vocetur. Et talem omnino, quod gaudemus, suppeditat Academica institutio virium exercendarum facultatem multiplicem, catechesibus v. c. instituendis, orationibus Sacris conficiendis habendisque, disputatiunculis conscribendis aliisque eiusmodi pluribus, quin familiaribus etiam doctorum cum discipulis horumque inter se, moderante doctore, colloquiis et consuetudine adeo quotidiana, ut, si his omnibus bene utantur, magis magisque informari possint ac veluti praxi quadam praevia exerceri studiosi iuvenes.

Hîc, cursu peracto, pedem figere et, causa perorata, orationi meae finem imponere possem, Auditores! nisi unum adhuc dicendum restaret idque, mea quidem opinione, gravissimum. Aptissimam laudavimus institutionem Academicam, quatenus praecipue lectionibus habendis frequentandisque et quotidiano doctorum usu constat. Et certe quibusnam utantur doctoribus

atque magistris, quotquot ad spem muneris Sacri adspirant, quam plurimum omnino interest. „Quales enim," ita praeclare PARAVIUS, Theologus Groninganus, „quales reddere discipulos volumus, tales necesse est, ut „simus ipsi, veri amore ardentes, boni sanctique amantes, vere liberales „ingenioque et animo toto ad divina intenti." Nec tamen omnis prorsus a doctorum probitate et industria pendet institutio. Hi duces tantum commilitonibus praeeunt viamque exemplo monstrant et, ut sequantur, gnaviter eos adhortantur. Ipsi vero commilitones se iis erudiendos et instituendos confidenter tradant atque amore cum iis iungantur vere Christiano, dici vix potest, quam necesse sit. Imo vero se ipsi, moderante Deo, instituant exerceantque sibique mutuo, quantum possint, opitulentur oportet. Summum sibi vitae consilium animo proponant quotidie. Continuum cum Deo habeant alantque commercium. Ad eum colendum precibus, Sacrae Scripturae usu, frequentandis Ecclesiae Sacris, animum mentemque componant. Alacriter in studia incumbant domestica. Crebra repetitione, quae mater studiorum vocari solet, docta recolant. Saepius vires ipsi suas inter se periclitentur. In sodalitiis, quae vocantur, amicitias iungant et studiorum communione ad mutuam evehantur animorum coniunctionem. A turpi pigritia, a stolida vanitate, ab intemperantia morumque depravatione immunes se servent atque iunioribus seniores consulant. De castitatis et virtutis vere Christianae praemio inter se concertent omnique id cura agant, ut bene peracti curriculi Academici nunquam eos poeniteat, dicti illius praeclari memores: „oratio, meditatio, tentatio faciunt „Theologum." Atque haec quidem talia sunt, ut numquam satis studiosorum animis inculcentur, inprimis Theologorum. Ipsa vero, animadvertite, Auditores! ad colenda haec omnia quam optime sit composita Academica vita. Habet sane, non nego equidem, pericula sua peccandique illecebras; sed haec mihi unice vera est animi constantia, quae periculis exploretur et ad omnem surda est Sirenum cantum, prava iubentium. Et praestat omnino ipsius vitae usu, antequam in lucem prodeant, futuros exerceri Sacrorum antistites, quam inexercitatos postea turpiter labi aut deflectere. Et sua quoque bona et commoda habet vita illa Academica, cuius meminisse iuvat provectioris aetatis viros quoscunque spectatissimos. En lectissimam iuvenum coronam, moribus, doctrina, consilio prope aequa-

lium, qui libere vivunt, nec curis gravati neque officio, a solita hominum consuetudine in multis segregati, procul a parentibus atque cognatis, novae civitatis eiusque Academicae socii facti! Eodem veri amore incensi et altiora petentes quam quae pueris tradantur, eodem convenerunt, et in ea quidem vitae aetate felicissima, ubi mens aperta, memoria nondum affecta, animus ad hilaritatem compositus, sensus animi vividissimi sciendique summa est cupido corporisque vigor integerrimus. Convenerunt autem, ut, nulla adhuc divitiarum nec stirpium honorumve ratione habita, in ingenua incumbant studia, humanitatem colant, ad ipsa veritatis religionisque adeo divinae arcana penetrent et ad gravissima instituantur in republica Ecclesiaque Christiana obeunda munera. Hi, ubi fraternae iungantur amicitiae vinculo, quantopere sibi invicem prodesse poterunt et institutioni suae mutuo inservire, virtutum inter aequales aemuli! Ad me saltem quod attinet, Auditores! si quam in me vim habuerit Academica institutio, qua ad bene peragendum munus Sacrum rite praepararer, hanc ut commilitonibus meis amicissimis, quorum nonnullos hic adesse summopere laetor, haud minus acceptam referam, quam doctissimis iisque optimis, quos cum Amstelodami, tum hic Leidae habui, praeceptoribus, utique par est.

Iam ad finem perducta oratione mea qualicunque tandem, dicta breviter recolite, humanissimi Auditores! Aptissimam laudaturi, prae quavis alia, Academicam institutionem, ad futuros quidem Sacrorum antistites probe informandos, primum de propaedeuticis, quae vocantur, studiis literarumque humaniorum cultu diximus, Theologo quippe prorsus necessariis; ipsam deinde delineavimus, qualis in Academia traditur, Theologiae disciplinam, eamque doctam, liberalem, practicam, et postremo ad vitam provocavimus omnemque consuetudinem Academicam. Quid plura? Ob oculos mihi versatur antistitis Sacrorum perfectissimum exemplar, qui, ad optimi Servatoris eiusque Apostolorum similitudinem, veritatis coelestis ipsiusque adeo Dei spiritu afflatus, et ad praeclara quaevis divinaque factus, religionem, quam sana mente concepit animoque fovet devotissimo, vere Christianam ore facundo tradat, labore indefesso ubivis promoveat, vita moribusque integerrimis commendet aliis, gregisque, sibi commissi, curam agat fidelissimam, "non vi coactus nec turpis lucri studio ductus, sed libenti et "alacri animo, neque ita etiam ut tanquam dominetur in electos, sed ut

„se magis magisque gregis exemplum imitandum praebeat." Hoc igitur, quod nobis animo fingimus, quod mente veluti intuemur, ad quod pro viribus enitimur, quod summis efferre laudibus omnibusque imitandum proponere, voce vero ac verbis haud satis depingere valemus; hoc inquam perfecti Sacrorum antistitis exemplar, aut ego fallor, Auditores! aut nulla alia, quam hac nostra Academica institutione, prudenter adhibita, potest re factoque in vitam transferri.

Superest, ut, in auspicando munere Academico, officii, qua teneor, religione me solvam.

Ad Vos igitur primo loco me converto, Academiae Lugduno-Batavae Curatores! Viri nobilissimi, amplissimi! quibus id debeo, quod in editum hunc locum, quamvis trepidans, adscenderim. Vobis enim auctoribus et suasoribus factum est, ut Regis nostri augustissimi decreto, una cum praestantissimo KUENENO, Theologiae professor renuntiatus sim in hac Academia ordinarius. Pro quo eximio in me collato beneficio bonaque, quam de me meisque studiis concepistis, opinione debitas Vobis grates persolvere hodie in animo est. Eas accipitote, Viri amplissimi! meque Vestrum habetote observantissimum! Nec putetis, quaeso, me in publica hac animi grati testificatione subsistere velle, ac si verbis sategissem. Imo vero nihil mihi magis curae cordique est, quam re et factis diligentiam meam atque industriam in omnibus singulisque gravissimi, quod in me incumbit, officii partibus rite peragendis Vobis ita probare, ut vestri Vos voti nunquam poeniteat. Igitur si quid valeam, quod sentio, quam sit exiguum, id totum et Academiae, cui praeestis, consecrabo et studiosae iuventuti, cuius commoda curare pergitis. Vos autem, qua estis humanitate, Vestro me honorifico favore prosequamini Vestraque auctoritate et consiliis prudentissimis depressum erigatis, vacillantem confirmetis, bona appetentem ad quaevis meliora et optima perpetuo excitetis! Quod reliquum est, pro salute Vestra vota nuncupo sincera. Servet Vos benignissimum Dei numen ita diu incolumes, ut et patriae, quae omnes omnium caritates complectitur, et inclytae civitati Leidensi et, quam sibi virtutis prae-

mium reportavit, celebratissimae huic doctrinarum scholae bene ac prudenter, pro voto, consulere possitis!

Vos deinde quum intueor, Viri Clarissimi! qui Academiam Lugduno-Batavam non tantum famae pervulgatae splendore, sed et exquisitissimae doctrinae luce collustratis uberrima, nescio, quo pudore ac verecundiae sensu perfundar, meae quippe mediocritatis mihi conscius. Octodecim fere anni praeterlapsi sunt, ex quo, post peracta studia Academica, vestris communibus suffragiis, Theologiae doctor renuntiatus sum; sed Theologiam publice docendi provinciam aliquando in me delatum iri, ne per somnium quidem unquam cogitavi. Iam praeter spem exspectationemque meam, haud tamen invitus, Vestro adscribor ordini, in desideratissimi Niermeyeri, quondam commilitonis mei, locum vacantem. Cuius ego summi Viri mortem praematuram eo magis cum omnibus bonis atque Ecclesiae Christianae nostraeque Academiae bene cupientibus lugendam duxi, quo arctiori cum eo amicitiae vinculo, inprimis postremo vitae tempore, iunctus fuerim. Suspiciebam in eo accuratae eruditionis copiam et ingenii subacti acumen et amabilem illam animi modestiam ac candorem, quo bonus esse quam videri malebat, iisque maxime dotibus se et Vobis ita commendavit et studiosae iuventuti, ut magis magisque in deliciis haberetur ab omnibus. Huic igitur succedens eiusque laborem, morte eheu! interruptum, in me suscipiens, cogitate, quaeso, quo sim animo, cum curae meae ac sollicitudini maximae accedat moestitiae dolorisque sensus. Quis tandem ego sum, qui tanti Viri desiderium levem, et gravissimum, quod eius obitu haec Academia, et vero ipsa Theologiae, praesertim Exegeticae, disciplina damnum tulit, quodammodo saltem resarciam? Erigit vero et recreat me Vestrae humanitatis recordatio, qua scilicet a me, doctore inexercitato, haud exspectetis, quae ille praestare potuit et, quamquam per nimis breve tempus, revera praestitit. Ergo Vos mihi succurrite, quos collegas aestumatissimos venerans saluto, meque Vobis ducibus et admonitoribus uti haud gravemini! Sunt inter Vos, qui disciplinas profiteantur, quarum major est, quam ceterarum, cum Theologia cognatio: his me quam maxime commendatum esse velim, ut omnes tendamus ad idem. Sed cunctae inter se arctissimo cohaerent vinculo artes doctrinaeque liberales, et iam compertum habetis, me, cui futuri infor-

mandi sunt Sacrorum antistites, de Academicae institutionis utilitate haud minus magnifice sentire, quam communis fert Eruditorum sententia. De me igitur Vobis ita persuadeatis, hoc mihi in votis esse, ut pro viribus aliquid conferam ad alendam augendamque illam inter eiusdem Academiae doctores animorum coniunctionem, qua illius saluti et gloriae optime consulatur.

Quod inprimis Vobis dictum sit, Viri Clarissimi! quibus Theologorum Ordo Leidensis constat. Vobiscum arctioribus etiam vinculis ita me coniunctum video, ut paucis Vos singulatim compellare animus omnino iubeat. Decessit e Vestrum numero, quo cum celeberrimo PALMIO praeceptore usus sum, multis mihi nominibus colendo, IOHANNES CLARISSE; sed te adhuc superstitem hic adesse, Clarissime HENGELI! est, quod maximopere laeter mihique ex animo gratuler. Tibi quid debeam, in cuius disciplinam e summi LENNEPII et ROORDAE et tui meique ROOYENSII schola me Pater optimus transtulit, tuus quondam commilito et etiam nunc amicus integerrimus, mihique filio ipsa vita carior, quique maximis, quibus me cumulasti, beneficiis et hoc superaddidisti, quod mihi, ut delatam in me provinciam haud recusarem, suasor exstiteris; Tibi igitur quid debeam, verbis sane enuntiare nequeo; sed beatum me praedico, qui iam Tibi adesse meamque Tui observantiam Tibi probare possim. Inter Theologos Tu certe, quamquam rude donatus, omnium suffragiis, principem locum obtines, nec facile reperietur, qui de Novi Testamenti arte exegetica Te magis meliusve meruerit. Quam ego artem tum demum me in hac Academia probabiliter docuisse existimabo, quum, Tui ad exemplum, grammaticam interpretandi rationem unice veram et ipse secutus et discipulos ad eam sequendam assidue cohortatus fuerim. Tu igitur, venerande senex! vicissim mihi adesse Tuisque me monitis ac consiliis iuvare pergas, donec ad altiora Te evocet, quam paratus exspectas, Dei eiusdemque Patris benignissimi vox coelestis! — Nec minus Te praeceptorem optimum et amicum integerrimum et iam collegam compellare aestumatissimum, Clarissime KISTI! utique par est. Huc me vocatum esse, Te haud invito, et Tecum adhuc studiosae iuventuti prodesse posse, cuius ipse olim discipulus eximiam expertus sum benevolentiam, inter optima refero, quae in me hodie confert divina Providentia, vitae bona. Age,

vir optime! eodem me collegam amore prosequare, quo discipulum complexus es! Exemplo Tuo me, quo tramite eundum sit, monstra quotidie, ut munere meo tuaque amicitia aliquando dignior evadam! Et diu adhuc, imo diutissime, in Academiae nostrae CHRISTIque adeo Ecclesiae emolumentum Te Deus conservet et salvum superesse velit. — Tibi quoque, doctissime SCHOLTENI! me iam haud uno nomine devinctum sentio. Optimam Tuam de me opinionem, cuius iam aliquot ante annis indicia acceperim, maximi equidem feci, et quae postea et recens adhuc mihi dedisti, amicitiae testimonia grato animo agnovi. His Tu sollicitudinem meam sublevasti, ne tali tantoque collegae impar sim. Omnes Te venerantur doctrinae statorem ac vindicem, Teque cariore non utuntur magistro, qui Theologiae operam dant in hac Academia iuvenes optimi. Iam me in sodalitatem Tuam benevolus recipe, meque, Te longe inferiorem, at Tui studiosissimum, amicitia Tua honorare perge! — Atque ita me Tibi quoque superest, ut commendem, amicissime KUENENI! qui, eandem mecum provinciam nactus, sine mora literis missis mihi gratulari Tuamque mihi benevolentiam significare haud dedignatus es. A quo deinde tempore Te conveni, quem ne ore quidem ac vultu noveram, Te talem expertus sum, qualem Te mihi et fama descripserat et discipulorum Tuorum laudatio. Quid? quod lectionum, mihi demandatarum, partem haud exiguam ad hunc usque diem, mea vice, explevisti, ne quid ex mea adhuc absentia detrimenti caperet studiosa iuventus. Pro hoc igitur ceterisque Tuis in me collatis beneficiis gratias meas accipe, quas agere possum maximas, meque nullo non necessitudinis vinculo Tecum ita habe coniunctum, ut, si qua in re ego Tibi prodesse potero, lubentissime facturus sim et paratissime!

Denique ad Vos quoque salutandos meus me animus impellit, lectissimi Iuvenes! qui in illustri hac Academia literis ac disciplinis operam navatis. Tempora recordor, quae ipse iuvenis in Academia degebam, quibusque non cum Theologis tantum, sed et cum haud paucis ceterarum doctrinarum studiosis amicitia iunctus eram. Hinc colligere Vobis licet, prono me esse etiamnunc et benevolo in Vos omnes animo, cuiuscunque tandem generis disciplinae nomen dedistis. Quare omnibus omnino Vobis me commendo Vestrumque nemini prorsus deesse, cuius commodis inservire possim, in votis habeo. Quod inprimis Vobis dictum sit, qui, ut olim

Sacro munere Vobis fungi contingat, sanctissimam colitis Theologiae disciplinam. NIERMEYERUM lugentes praeceptorem optimum, quo estis erga praeceptores animo, testificati estis luculentissime. Erat enim ille in paucis eximius Vestrique amantissimus. Mihi vero, in eius locum suffecto, quamplurima desunt, quibus Ille ornatus erat Vobisque inserviit. Sed in memoriam venit, quam ad me misit, epistola, eo quidem tempore, quo, Roterodamo destinatus, in hanc vocaretur Academiam. Tum ille ex animo dolere sibi haud obscure significavit, quod non, antequam Theologiae capesseret munus professorium, per aliquod saltem temporis spatium Roterodamensium praeesse posset coetui Christiano; hinc enim sperasse se, fore ut haud exiguum in se redundaret emolumentum, quo melius futurorum inserviret antistitum Sacrorum commodis. Iam ego, si quid valeo, quae annorum aliquot me, praesertim Roterodami, experientia docuit, Vobis certe suppeditare possum omnibusque viribus prodesse Vobis conabor. Vos igitur his, quaeso, Vestrum in commodum diligenter utamini! Me accipite, Commilitones exoptatissimi! studiorum ducem ac comitem, qui Vobis docendis ipse discam! Et si in laudanda institutione Academica, quippe ad Vos formandos aptissima, ea tantum elocutus sum, quae vestra Vos quotidie experientia docet, beatos Vos praedicate, quibus nihil prorsus desit, quo ad munus Sacrum aliquando gerendum rite praeparemini! Moveat Vos illius muneris gravitas ad studia vestra, ut facitis, gnaviter persequenda! Animi pietate morumque Vos probitate omnibus commendetis, qui Ecclesiae nostrae Reformatae curam gerunt fidelissimam! Prodeant e Vobis multi quotannis verbi divini ministri gregisque, quem suo sibi sanguine CHRISTUS peperit, pastores probabiliores! Et floreat in sempiternum haec celeberrima Leidensis schola Theologorum omnisque haec nostra Academia, verae eruditionis pulcherrima sedes!

Quae nostra vota ne Tu irrita sinas esse, Deus Optime Maxime! quem Patrem veneramur in IESU CHRISTO benignissimum!

DIXI.

ANNOTATIO.

P. 6. PAULI Apostoli effatum. 1 Tim. III. 1.
verbis — pronuntiarunt. Vid. J. VAN GILSE, Oratio, quam habuit, inauguralis, quum in Seminario Teleio-baptistarum Amstelodamensi, anno 1849, Theologiae professionem auspicaretur.

" 9. WYTTENBACHIUS in — RUHNKENII — vitae enarratione. Vid. WYTTENBACHII Opuscc. Tom. I. p. 60.

" 12. mera institutio. Conff. PH. W. VAN HEUSDE, Brieven over den aard en de werking van het hooger Onderwijs, Utr. 1829. et C. PRUYS VAN DER HOEVEN, Oratio de institutione Academica. L. B. 1840.

" 12 in literis — missis. Has literas primum, quantum scio, in lucem edidit N. C. KIST, in Archief voor de Kerkelijke Geschiedenis. Tom. IX. p. 521—523.

" 13. lege — ecclesiastica. Vid. Reglement op het Examen ter toelating tot de Evangeliebediening in de Nederlandsche Hervormde Kerk, gearresteerd d. 30sten Aug. 1854. Art. 9.

" 15. otium fecit HENGELIUS. Over de Godgeleerdheid in het algemeen en hare betrekking tot het onderwijs op 's Lands hoogescholen in het bijzonder. Leiden 1850.

" 18. Ita PAULUS Apostolus. 1 Kor. III. 22.

" 21. a NIERMEYERO commendata. Oratio de Theologiae Practicae studio, futuro Euangelii ministro prorsus necessario, dicta anno 1852.

" 26. liberam et publicam. Cf. A. C. HOLTIUS, Oratio de liberalitate maiorum nostrorum, quae Academiis instituendis augendisque cognita est. Trai. ad Rhen. 1836.

" 28. suae ipsa divinitatis testis. Vid. J. H. SCHOLTEN, Oratio de religione Christiana, suae ipsa divinitatis in animo humano vindice. L. B. 1843.

" 28. ANGELUS MERULA. Vid. W. MOLL, Angelus Merula, de Hervormer en Martelaar des geloofs. Amst. 1851.

" 31. PARAVIUS. Oratio de animo non minus Theologorum, quam ingenio, Academica institutione informando. Gron. 1832. p. 20.

" 34. non vi coactus est. Cf. 1 Petr. V. 2, 3.

SERIES LECTIONUM,

IN

ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA

HABENDARUM, POST FERIAS AESTIVAS ANNI 1855.

FACULTAS IURIDICA.

S. VISSERING Statisticam Patriae explicabit, diebus Lunae, Martis et Mercurii, ... hora I.
Historiam Europae diplomaticam, iisdem diebus, ... II.
Oeconomiam politicam, die Iovis, ... I.
et die Veneris, ... XII et I.

H. G. TYDEMAN, Emeritatum nactus et cessans a Praelectionibus, non tamen cessabit in studiorum suorum fructu lubenter communicando.

C. I. VAN ASSEN interpretabitur Digestorum locos selectos, diebus Lunae, Martis et Mercurii, ... X.
IUSTINIANI Institutionum libros IV cum THEOPHILI Paraphrasi, diebus Lunae, Martis et Mercurii, ... XII.
Ius civile hodiernum, secundum Compendium a se editum, diebus Lunae, Martis et Mercurii, ... XI.
Legem Iudiciorum privatorum eorumque Historiam, et rem iudiciariam privatam, die Iovis, ... X—XII.
et die Veneris, cum Exercitationibus forensibus, . . . XI.
Auctorum classicorum selectos locos ad Ius Romanum pertinentes, die Iovis, ... XII.

H. Cock tradet Ius criminale, diebus Lunae, Mercurii et Iovis, hora IX.
Ius publicum et Gentium, diebus Lunae, Martis et Mercurii, X.
Ius naturale, diebus Lunae, Martis et Mercurii, ... XI.
Ordinem Iudiciorum criminalium, diebus Lunae, Martis et Mercurii, ... XII.
I. de Wal Historiam Iuris Romani enarrabit, diebus Lunae, Martis et Mercurii, ... IX.
Encyclopaediam et Methodologiam Iuris explicabit, iisdem diebus, ... X.
Ius mercatorium exponet, die Iovis, ... XII,
et die Veneris, ... IX et X.

FACULTAS THEOLOGICA.

W. A. van Hengel, provectae aetatis causa rude donatus, quantum per vires licebit, Academiae Alumnis prodesse conabitur.
Cum Theologiae Studiosis provectioribus de variis rebus gravioris argumenti familiariter colloquetur, die Veneris, VI.
N. C. Kist Historiam ecclesiasticam docebit, imprimis *recentiorem*, diebus Lunae, Martis et Mercurii, ... XII.
Christianae Morum Disciplinae partem exponet theoreticam et practicam, diebus Lunae, Mercurii et Veneris, ... XI.
Scriptorum Ecclesiasticorum, maxime *Belgicorum*, Historiam tradet, diebus Iovis et Veneris, ... XII.
Historiae ecclesiasticae veteris Monumenta exponet, die Martis, XI.
Orationibus sacris praeerit, die Martis, ... II.
I. H. Scholten, Dogmaticam Christianam tradet, diebus Martis et Iovis, ... XI,
et diebus Iovis et Veneris, ... X.
Theologiae naturalis sive Philosophiae de Deo Historiam inprimis *recentiorem* enarrabit, diebus Iovis et Veneris, I.
Librorum N. F. Historiam tradet, diebus Lunae et Martis, I.
Orationibus sacris praeerit diebus et horis sibi et Candidatis Theologiae commodis.

A. KUENEN, Prof. Extraord., V. T. locos in Pauli scriptis citatos interpretabitur, die Lunae, ... hora X,
et die Iovis, ... VIII.
Librorum V. T. Historiam enarrabit, die Mercurii, ... I,
et die Veneris, ... VIII.
Encyclopaediam et Methodologiam Theologiae tradet, die Mart., X,
et Iovis, ... IX.

*** Publice disputandi Exercitationibus praeerunt, die Veneris, II,
N. C. KIST, I. H. SCHOLTEN et A. KUENEN.

Lectiones de exegesi N. T. uti et de Theologia pastorali indicabuntur, quando vacantibus Cathedris prospectum erit.

FACULTAS DISCIPLINARUM MATHEMATICARUM ET PHYSICARUM.

I. VAN DER HOEVEN Zoologiam et Anatomen comparatam docebit, diebus Lunae, Martis, Mercurii, Iovis et Veneris, . . XI.
Mineralogiae et Geologiae elementa exponet, dieb. Lun. et Merc. II.
Anthropologiam et generis humani Historiam naturalem docebit, diebus Martis et Iovis, ... I.

A. H. VAN DER BOON MESCH Chymiam corporum organicorum exponet, diebus Lunae, Martis, Mercurii et Jovis, ... IX.
Chymiam, quae anorganica vocatur, docebit iisdem diebus, XI.
Artem pharmaceuticam et theoreticam et experimentalem exponet, diebus Lunae et Mercurii, ... XII.
Oeconomiam ruralem tradet, diebus Martis et Iovis, . . . XII.
Experimenta instituendi artem docebit, et Exercitia practica in Laboratorio moderabitur quotidie.
Cum Studiosis provectioribus de Physiologia chymica colloquetur, die Veneris, hora vespertina, ... V—VIII.

G. J. VERDAM Elementa Geometriae planae et Trigonometriam planam tradet, die Jovis, ... X,
et die Veneris, ... IX et X.
Stereometriam et Trigonometriam sphaericam docebit, diebus Martis et Iovis, ... VIII.

Arithmeticam universalem, sive Algebram, tradet, diebus Mercurii et Veneris, ... hora VIII,
et die Iovis, ... IX.
Calculum Differentialem et Integralem tractare perget, diebus et horis postea indicandis.
Scholas paedagogicas habebit, die Lunae, hora commoda.

F. Kaiser Astronomiam theoreticam tradet, diebus Lunae, Martis, Mercurii et Iovis, ... IX.
Astronomiam practicam iisdem diebus, ... X.
Astronomiam, quam popularem vocant, tradet diebus Lunae et Iovis, hora vespertina, ... V.
Post Ferias paschales autem hora quadam matutina, Auditoribus commoda.
Singulos suos Auditores ad coelum, tubi optici ope perlustrandum, aptis temporibus evocabit.
Artis observandi Exercitiis quotidie praeerit.

G. H. de Vriese Phytographiae fundamenta tradet autumnali tempore, singulis diebus, ... II.
Plantarum indigenarum, et medica virtute praeditarum, Historiam illustrabit, verno et aestivo tempore iisdem diebus, ... VII.
Physiologiam plantarum exponet, diebus Lunae, Martis, Mercurii et Iovis, ... II.
Selectas demonstrabit familias naturales, iisdem diebus, . . I.
Excursionibus botanicis praeerit die Saturni, apta tempestate.
Historiam plantarum, medica virtute praeditarum, et Pharmacognosin regni vegetabilis et animalis, duce Pharmacopoea Neerlandica, futuris Pharmaceutis tradet, horis commodis.

P. L. Rijke Physicam experimentalem docebit, diebus Lunae, Martis, Mercurii, Iovis et Veneris, ... XII.
De Physices capitibus selectis latius et fusius disseret, diebus Lunae et Mercurii, ... X.
Physicam mathematicam tradet, diebus Lunae et Veneris, II.

FACULTAS PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET LITERARUM HUMANIORUM.

I. BAKE interpretabitur SALUSTII *Iugurtham*, et CICERONIS libros *de Natura Deorum*, diebus Lunae, Martis et Mercurii, . . . hora IX.
Ex *Antiquitatibus Atticis* selecta capita tractabit, die Lunae, I et II.

A. RUTGERS IEREMIAE *Vaticinia* et *Psalmos* selectos interpretabitur, diebus Lunae et Martis, ... IX,
et die Mercurii, ... VIII.
Primum SAMUELIS *Librum* cursoria lectione tractare perget die Martis, ... I,
et die Iovis, ... XII.
Antiquitates Israëlitarum explicabit, diebus Lunae, Martis et Mercurii, ... XII.
Grammaticam Sanscritam docebit, et Mahabharatam explicare perget die Saturni, ... I et II.

T. G. I. IUYNBOLL Sermonis Hebraei elementa tradet, cum Grammatica explicanda, tum analyticis Exercitiis moderandis, diebus Lunae, Martis et Mercurii, ... VIII,
et die Iovis, ... I.
Literarum Arabicarum, Chaldaicarum et Syriacarum initia docebit (duce Cl. ROORDA, WINERO, UHLEMANNO), diebus Iovis, Veneris et Saturni, ... VIII.
Cum provectioribus Discipulis legere perget *Al-Bayāno'l-Mogrib*, ex ed. Cl. DOZYI, die Lunae et Mercurii, . . . II.
Coranum, die Veneris, ... II.
Chrestomathiam Syriacam Bernsteinianam, et DIONYSII TELMAHARENSIS *Chronicon Syr.*, a TULLBERGIO editum, die Martis, ... II.

I. H. STUFFKEN Logicam tradet, die Iovis, ... IX,
et die Veneris, ... XI et I.
Metaphysicam docebit, diebus Martis et Mercurii, ... X.
Ethicam explicabit, diebus Lunae et Iovis, ... XII.
Paedagogicam exponet, diebus et horis Auditoribus commodis.

C. G. COBET interpretabitur LYSIAM, HERODOTUM et SOPHOCLEM, diebus Lunae, Martis et Mercurii, ... hora X.
Historiam veterem provectiores docebit, diebus Lunae et Mercurii, ... I.
Antiquitates Romanas tradet, diebus Lunae, Martis et Mercurii, ... XII.
Antiquitates Romanas selectas cum provectioribus pertractabit, die Iovis, ... XII.
Scholas paedagogicas habebit, diebus Martis et Iovis, . . . II.
Elementa artis metricae docebit, diebus Iovis et Veneris, I.
Initia Palaeographiae Graecae Candidatis Literarum explicabit, diebus Veneris et Saturni, ... IX—XI.
Disputandi Exercitia publica moderabitur, die Iovis, ... XI.

R. P. A. DOZY, Prof. Extraord., Historiam universalem explicabit, diebus Lunae, Martis et Mercurii, ... XI.
De fontibus historiae medii aevi, imprimis de diplomatibus, exponet, diebus Iovis et Veneris, ... X.
Interpretari perget *Solwān al-motā*, die Lunae, hora vespertina, VI—VIII.
Et Abd-al-wāhidum, die Martis, hora vespertina, ... VI—VIII.

M. DE VRIES Historiam Patriae tradet, die Mercurii, ... I.
et diebus Iovis et Veneris, ... II.
Linguam Literasque patrias explicabit, diebus Lunae, Martis et Mercurii, ... II.
Linguam Literasque patrias medii aevi explicabit, diebus Lunae et Iovis, ... I.
Exercitia oratoria moderabitur, die Veneris, ... III.
Selecta VONDELII carmina interpretabitur, die Lunae, . . . III.
Linguam Gothicam tradet, die Martis, hora vespertina, . . VI—VIII.
Cum Literarum Sanscritarum studiosis aget de Linguis Indo-Germanicis mutua comparatione explicandis, die Saturni, II.

FACULTAS MEDICA.

C. PRUYS VAN DER HOEVEN Pathologiam docebit, diebus Lunae, Mercurii et Veneris, ... I.

Medicinam practicam cum exercitatione in Nosocomio academico, quotidie, ...	hora XI.
Historiam Medicinae tradet, diebus Martis et Iovis, ...	XI.
G.C.B. Suringar Therapiam generalem docebit, diebus Martis et Iovis,	XII,
et die Saturni, ...	IX.
Pharmacognosin et naturalem remediorum Historiam, diebus Lunae, Mercurii et Veneris, ...	XII.
Therapeuticum remediorum usum indicabit, diebus Mercurii et Veneris, ...	IX.
Doctrinam morborum singularium tradet, diebus Lunae, Martis et Iovis, ...	IX.
Praxin medicam ad lectulos aegrotantium moderabitur, diebus singulis, ...	X.
F. W. Krieger Theoriam Disciplinae chirurgicae exponet, diebus Lunae, Mercurii et Veneris, ...	VIII.
Exercitationibus clinicis, in Nosocomio academico habendis, vacabit, diebus Lunae, Mercurii, Iovis et Saturni, . . .	XII.
Collegio casuali, diebus Martis et Veneris, ...	XII—III.
Operationes chirurgicas, tum etiam vincturarum et fasciarum Doctrinam demonstrabit, horis deinde indicandis.	
Doctrinam de morbis oculorum exponet, die Saturni, . . .	X—XII.
Medicinam forensem, diebus Lunae et Iovis, ...	I.
Anthropologiam medico-forensem docebit, die Veneris, . . .	II.
A. E. Simon Thomas, Prof. Extraord., Theoriam artis obstetriciae exponet, diebus Martis, Iovis et Saturni, ...	VIII.
Exercitationibus clinicis, in Nosocomio academico habendis, vacabit quotidie, ...	IX.
Doctrinam Operationum tradet, et Operationibus obstetriciis, tum in pelvi factitia, tum in cadavere instituendis, praeerit, die Mercurii, ...	I.
Gynaecologiae et Gynaecopathologiae capita selecta tradet, die Lunae, ...	II.
Praxin obstetriciam, tum in Nosocomio academico, tum in Policlinico obstetricio, quoties necesse erit, moderabitur.	

H. HALBERTSMA, Iust. Fil., Prof. Extraord., Anatomiam specialem et practicam docebit, diebus Lunae, Martis, Mercurii, Iovis et Veneris, ... hora X.

Physiologiam, experimentis et observationibus microscopicis illustratam, iisdem diebus, ... IX.

Methodum secandi cadavera, quotidie, hiberno tempore, . . XI—III.

F. W. KRIEGER et H. HALBERTSMA disputandi Exercitiis publicis praeerunt, die Martis, ... II.

P. O. VAN DER CHIJS, titulo Professoris Extraordinarii ornatus, Numismaticam universalem docebit, diebus et horis, quae Auditoribus convenient.

I. A. BOOGAARD, Med. Doct., Prosector, Anatomiam pathologicam docebit, die Iovis, ... II.

Exercitiis practicis in Microscopii usu praeerit, horis Auditoribus commodis.

C. A. X. G. F. SICHERER, Literarum Germanicarum Lector, selecta principum Poetàrum germanicorum carmina interpretari paratus est, simul id acturus, ut his ipsis exemplis varia Poeseos genera explicet Auditoribus.

Si qui sint Linguae germanicae minus periti, Grammaticam doceri cupiunt, his quoque lubentissime vacabit.

C. G. LOKKERS, Academicus Artis gladiatoriae Magister, aptum et elegantem gladii usum quotidie docebit.

NUMERUS STUDIOSORUM

IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA

DIE 31 DECEMBRIS 1855.

E FACULTATE IURIDICA.	E FACULTATE THEOLOGICA.	E FACULTATE DISC. MATH. ET PHYS.	E FACULTATE PHIL. THEOR. ET LIT. HUM.	E FACULTATE MEDICA.	CUNCTUS NUMERUS.
200	136	20	25	102	483.

Praeterea in Album Academicum nomina Studiosorum, in diversis Athenaeis studiis operam navantium, relata sunt, eo tantum consilio, ut hic examinentur et Doctores creari possint, quorum:

in Facultate		Iuridica	36.
"	"	Theologica	52.
"	"	Disc. Math. et Phys.	—
"	"	Phil. Theor. et Lit. Hum.	8.
"	"	Medica	50.
			146.

DOCTORES CREATI

IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA,

A DIE 8 M. FEBRUARII 1855 AD DIEM 8 M. FEBRUARII 1856.

IN FACULTATE IURIDICA.

Die 5 Mart. IANUS GERDENIER, Medemelacensis, defensis Thesibus, I. U. D., *cum laude.*

D. 10 Mart. PETRUS HUBERTUS VAASEN, Noviomagensis, defenso Specimine continente *Quaedam de mercatoribus et negotiis mercatoriis*, I. U. D., *cum laude.*

D. 26 Mart. GUILIELMUS FREDERICUS CAROLUS DE EERENS, Haganus, publice defenso Specimine continente *Adnotationes ad Art.* 447 *et* 448 *Cod. de Meth. Proc. in Causis Civilibus*, I. U. D.

D. 29 Mart. PHILIPPUS ADRIANUS HOLSBOER, Zutphaniensis, defensis Thesibus, I. U. D., *cum laude.*

D. 4 Maii. THEODORUS ALEXANDER ALBERTUS SCHOENERMARCK, defensis Thesibus, I. U. D., *cum laude.*

D. 5 Maii. HENRICUS CROOCKEWIT, Amstelodamensis, publice defenso Specimine *de Monopoliis*, I. U. D., *cum laude.*

D. 2 Iunii. HERMANUS IOHANNES SCHUURMAN, Rysvicensis, defenso Specimine continente *Adnotationem ad C.* 3 *Legis d.* 9 *m. Iulii* 1842, *de munere tabellionis*, I. U. D., *cum laude.*

Eodem die. CAROLUS ADRIANUS VAN DER KEMP, Haganus, defenso Specimine *ad Art.* 1223b *Cod. Civ. Neerl.*, I. U. D., *cum laude.*

D. 8 Iunii. HENRICUS IOHANNES ADRIANUS VERSTEEGH MEULEMANS, Buikslota-Hollandus, defensis Thesibus, I. U. D., *cum laude.*

D. 18 Iunii. ROELANDUS IOHANNES VAN MIERLO, Bredanus, defensis Thesibus, I. U. D.

Eodem die. SAMUEL IOSEPHUS HARTOG, Leidensis, defensis Thesibus, I. U. D., *cum laude.*

D. 25 Iunii. Tobias Constantinus Petrus Alsche, Haganus, defensis Thesibus, I. U. D., *cum laude.*

Eodem die. Carolus Gerardus Hultman, Samarangensis, defensis Thesibus, I. U. D., *cum laude.*

D. 27 Iunii. Gerardus Petrus Antonius Sopers, Sylva-Ducensis, defensis Thesibus, I. U. D., *cum laude.*

Eodem die. Cornelius Richardus Edmundus van Ryckevorsel, Haganus, defensis Thesibus, I. U. D., *cum laude.*

Eodem die. Alphonsus Iacobus Cornelius de Kuyper, Roterodamensis, defensis Thesibus, I. U. D., *cum laude.*

D. 28 Iunii. Henricus Georgius Lagemans, Haganus, defensis Thesibus, I. U. D., *magna cum laude.*

D. 30 Iunii. Henricus Carolus Martinus van Kervel, Haganus, defensis Thesibus, I. U. D., *cum laude.*

Eodem die. Eppo Nicolaus Franciscus Heerkens, Zwollanus, defensis Thesibus, I. U. D., *cum laude.*

Eodem die. Gerhardus Bartholomaeus Heydeman, Amstelodamensis, publice defenso Specimine continente *Adnotationem ad Legem, qua iurisdictio Iudicum Cantonalium extensa est*, I. U. D.

Eodem die. Ianus Luzac, Lugduno-Batavus, defenso Specimine *de diversa periurii notione, in recentioribus populorum legibus conspicua*, I. U. D., *magna cum laude.*

D. 14 Sept. Bernardus Cornelius Ernestus Proes, defensis Thesibus, I. U. D., *magna cum laude.*

Eodem die. Christianus Ioannes Antonius Heydenreyck, Amstelodamensis, publice defenso Specimine, *de civitatis nostrae erga iuventutis institutionem officiis, sec. Art.* 194 *Legis Fundamentalis*, I. U. D., *cum laude.*

D. 1 Oct. Abrahamus Henricus Verster, Amstelodamensis, defensis Thesibus, I. U. D., *cum laude.*

D. 18 Oct. Iohannes Henricus van Mierop, ex pago Hillegersberg, defensis Thesibus, I. U. D., *cum laude.*

D. 20 Oct. Ioannes Theodorus van der Aar, Lugduno-Batavus, defensis Thesibus, I. U. D., *cum laude.*

D. 22 Oct. Ludovicus Gothofridus Arnoldus van der Wyst, Roterodamensis, defensis Thesibus, I. U. D., *cum laude.*

D. 25 Oct. Iacobus Antonius Nicolaus Travaglino, Harlemensis, defensis Thesibus, I. U. D., *cum laude.*

D. 1 Nov. Ludovicus Iohannes Henricus Bouman, e pago Voorhout, defenso Specimine *de Collisione Navium*, I. U. D., *magna cum laude.*

D. 8 Nov. Daniel Hubertus van den Acker, Eindhoviensis, defensis Thesibus, I. U. D., *magna cum laude.*

D. 13 Nov. Henricus Rudolphus van Hees, Amstelodamensis, publice defenso Specimine, *de Burgimagistris, praesertim ratione habita senatus municipalis*, I. U. D., *cum laude.*

D. 16 Nov. Henricus Guilielmus Iacobus van Marle, Daventriensis, defensis Thesibus, I. U. D., *cum laude.*

D. 29 Nov. Ioannes Petrus Metman, Haganus, publice defenso Specimine, *de nonnullis locis in quibus differat methodus procedendi in foro civili ex Codice Indo-Neerlandico a Codice Nostro*, I. U. D., *cum laude.*

D. 30 Nov. Ianus Petrus Adolphus Teding van Berkhout, Harlemensis, defensis Thesibus, I. U. D., *cum laude.*

D. 13 Dec. Albertus Ianus Hazenberg, Lugduno-Batavus, defensis Thesibus, I. U. D., *cum laude.*

D. 14 Dec. Isaac Iohannes Martinus Laurillard, defenso Specimine, cui titulus: *Het Devolutieregt in het Hertogdom Brabant*, I. U. D., *magna cum laude.*

D. 17 Dec. Ianus Cornelius du Pui, Lugduno-Batavus, defenso Specimine continente *Comparationem loci de legatis Iuris Hodierni cum Spec. C. C. a.* 1820, *et Cod. Lud. a.* 1809, I. U. D., *cum laude.*

Eodem die. Regnerus van Harencarspel, Noviomagensis, defensis Thesibus, I. U. D., *cum laude.*

D. 18 Dec. Petrus Guilielmus de Gijselaar, Amstelodamensis, publice defenso Specimine, *de Proxenetarum monopoliis*, I. U. D., *cum laude.*

D. 21 Dec. Lucas Petrus van der Straten Stokbroo, Hornanus, defensis Thesibus, I. U. D., *cum laude.*

D. 19 Ian. Evert Slaghek, Amstelodamensis, publice defenso Specimine, *de Disconto literarum Cambialium*, I. U. D., *cum laude.*

D. 30 Ian. PETRUS LAMBERTUS MOLL, Roterodamensis, defenso Specimine cui titulus: *De Nederlandsche en Belgische Wetgevingen betrekkelijk het Accoord onderling vergeleken*, I. U. D., *cum laude.*

D. 7 Febr. IOANNES GERARDUS KRUIMEL, Amstelodamensis, defenso Specimine cui titulus: *Over Delging van Staatschuld*, I. U. D., *cum laude.*

IN FACULTATE THEOLOGICA.

D. 8 Iunii. CATHARINUS ELIZA BERNARDUS ULOTH, Amstelodamensis, publice defenso Specimine *de diversis formulis, quibus in Novo Testamento Spiritus Sanctus indicatur*, Theol. D., *magna cum laude.*

D. 1 Oct. ADAMUS RITSKO RUITENSCHILD, Zutphaniensis, publice defenso Specimine, *de literarum sacrarum exemplum ad illud quod prodest accommodate docendi per saeculorum decursu saepius neglecto, tamen summopere observando*, Theol. D., *magna cum lauda.*

D. 29 Ian. HENRICUS PETRUS BERLAGE, Amstelodamensis, publice defenso Specimine *de formulae paulinae Πίστις Ιησοῦ Χριστοῦ significatione*, Theol. D., *magna cum laude.*

D. 6 Febr. WESSELUS SCHEFFER, Amstelodamensis, defenso Specimine *de vocis absolutae Κύριος in N. T. usu*, Theol. D., *magna cum laude.*

IN FACULTATE PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET LITERARUM HUMANIORUM.

D. 5 Maii. IACOBUS ANNE VAN DER CHIJS, Lugduno-Batavus, defenso Specimine, *de Herode Magno, Iudaeorum Rege*, Phil. Theor. Mag. et Lit. Hum. D., *cum laude.*

D. 12 Oct. IOHANNES HENRICUS CASPARUS KERN, Poerworedjo-Indus, publice defenso Specimine exhibente *Scriptores Graecos de rebus Persicis Achaemenidarum monumentis collatos*, Phil. Theor. Mag. et Lit. Hum. D., *magna cum laude.*

D. 12 Dec. IANUS SOUTENDAM, Delphensis, I. U. D., defenso Specimine continente *Observationes in Homerum et Scenicos*, Phil. Theor. Mag. et Lit. Hum. D., *cum laude.*

D. 15 Dec. HENRICUS VAN HERWERDEN, e pago Beesterzwaag-Frisius, publice defenso Specimine continente *Observationes Criticas in fragmenta Comicorum Graecorum*, Ph. Th. M. et L. H. D., *magna cum laude.*

Eodem die. TJALLING HALBERTSMA, IUSTI FILIUS, Daventriensis, publice defenso Specimine continente *priorem partem Prosopographiae Aristophaneae*, Phil. Theor. Mag. et Lit. Hum. D., *magna cum laude.*

D. 26 Ian. HERMANUS ADOLPHUS KLEYN, Bredanus, publice defenso Specimine *de L. et T. Munatiis Plancis*, Phil. Theor. Mag. et Lit. Hum. D., *magna cum laude.*

IN FACULTATE MEDICA.

D. 15 Febr. IANUS HENRICUS MENNE, Amstelodamensis, publice defenso Specimine *de tuberculosi renum*, Med. D.

D. 17 Febr. WIEMER FELLINGA YPES, Leovardiensis, M. D., defensis Thesibus, A. O. D.

D. 12 Mart. IOHANNES HENRICUS CHRISTIANUS BASTING, Enchusanus, defenso Specimine continente *Morborum in Nosocomio L. B. militari a* 1854 *curatorum historiam generalem*, Med. D., *magna cum laude.*

D. 15 Mart. CORNELIUS SCHOKKER, Enchusanus, M. D., defensis Thesibus, A. O. D.

D. 31 Mart. IOHANNES BERNARDUS WYNHOF, Harlemensis, M. et C. D., defensis Thesibus, A. O. D.

D. 3 Maii. AUGUSTUS SASSE, e pago de Ryp, publice defenso Specimine, *de epulide osteosarcomatode*, Med. D., *magna cum laude.*

Eodem die. WYBRANDUS FRANCISCUS KERVEL, Haganus, M. D., defensis Thesibus, A. O. D.

D. 29 Maii. NICOLAUS PLANTENGA, e pago Selzaete, publice defenso Specimine, *de usu venaesectionis* Med. D., *cum laude.*

Eodem die. HENRICUS PHILIPPUS BEYST Jr., Amstelodamensis, publice defenso Specimine, *de febrium intermittentium medicatione*, Med. D., *cum laude.*

D. 11 Iunii. IOANNES IACOBUS HUPSCHER, Amstelodamensis, defenso Specimine continente *duos casus morbi in Clin. Cl. Suringar observatos*, Med. D., *cum laude.*

D. 25 Iunii. GERARDUS IOHANNES VAN WIERINGHEN BORSKI, ex urbe Zierikzee, defenso Specimine exhibente *casum peritonitidis cum epicrisi*, Med. D., *cum laude.*

D. 30 Iunii. GERARDUS HENRICUS BACKER, Amstelodamensis, publice defenso Specimine *de docimasia pulmonum*, Med. D., *magna cum laude.*

D. 10 Sept. MARIUS PETRUS GERARDUS KAPPEYNE VAN DE COPPELLO, Haganus, defenso Specimine continente *Casus quosdam in Clinico Cl. Simon Thomas observatos*, Med. D., *magna cum laude.*

D. 31 Oct. HENRICUS MARINUS ADRIAANS, Lugduno-Batavus, defenso Specimine continente *descriptionem pelvis oblique angustatae atrophicae*, Med. D., *magna cum laude.*

Eodem die. DIMMEN LODDER, e pago Ouddorp, defenso Specimine *de methodo Petitiana in herniotomia*, M. D., *cum laude.*

D. 1 Nov. NICOLAUS PLANTENGA, e pago Selzaete, M. D., defensis Thesibus, A. O. D.

D. 3 Nov. PAULUS HOEKEMA KINGMA, e pago Makkum, defenso Specimine continente *quasdam observationes de Otolicno Peli*, M. D., *magna cum laude.*

D. 5 Nov. CAROLUS HUBERTUS HENRICUS LEURS, Ruraemundanus, M. D., defensis Thesibus, A. O. D.

Eodem die. Idem C. H. H. LEURS, defensis Thesibus, Ch. D.

D. 20 Nov. HENRICUS GUILIELMUS DE MONCHY, Roterodamensis, defenso Specimine cui titulus: *Vijf waarnemingen van gedeeltelijke verlamming der handen*, M. D., *magna cum laude.*

D. 14 Dec. IACOBUS MATTHIAS BOOM, Tholensis, M. et A. O. D., defensis Thesibus, Ch. D.

D. 22 Dec. IANUS CHRISTIANUS KIST, Haganus, defenso Specimine *de Carcinomate pancreatis*, M. D., *magna cum laude.*

D. 17 Jan. GUILIELMUS DANIEL LUDOVICUS HUET, Amstelodamensis, defenso Specimine continente *Varia de Morbo Syphilitico in Nosocomio Amstelodamensi suburbano observata*, M. D., *magna cum laude.*

D. 7 Febr. ANTONIUS DAVID FUHRI, Roterodamensis, M. et A. O. D., defensis Thesibus, Ch. D.

HONORIS CAUSA.

D. 13 Nov. a. 1855. L. A. TE WINKEL, in Gymnasio Lugduno-Batavo Praeceptor Lit. Neerland., Phil. Theor. Mag. et Lit. Hum. D. creatus est.

ACADEMIA

RHENO-TRAIECTINA.

NOMINA PROFESSORUM ET LECTORUM,

QUI

INDE A DIE XXVII M. MARTII MDCCCLV AD D. XXVI M. MARTII MDCCCLVI

IN ACADEMIA RHENO-TRAIECTINA

DOCENDI MUNUS OBIERUNT.

RECTOR MAGNIFICUS

IACOBUS VAN HALL.

SENATUS ACADEMICI GRAPHIARIUS

HENRICUS EGBERTUS VINKE.

IN FACULTATE IURIDICA.

A. C. HOLTIUS.
I. ACKERSDYCK.
G. W. VREEDE.
B. I. LINTELO DE GEER (Extraord.).
I. VAN HALL.

IN FACULTATE PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET LITERARUM HUMANIORUM.

A. VAN GOUDOEVER (die 2 m. Iulii rude donatus).
I. C. SWYGHUISEN GROENEWOUD (Emeritus).
L. G. VISSCHER.
S. KARSTEN.
C. G. OPZOOMER.
I. A. C. ROVERS (qui die 7 m. Decembris munus auspicatus est).

IN FACULTATE MEDICA.

B. F. SUERMAN (Emeritus).
I. L. C. SCHROEDER VAN DER KOLK.
G. I. LONCQ, Corn. Ian. Fil.
F. C. DONDERS.
L. C. VAN GOUDOEVER (Extraord.).

IN FACULTATE MATHESEOS ET PHILOSOPHIAE NATURALIS.

TH. G. VAN LIDTH DE JEUDE.
R. VAN REES.
C. A. BERGSMA.
P. I. I. DE FREMERY (Extraord.).
Obiit die 8 m. Septembris.
G. I. MULDER.
P. HARTING.
C. H. D. BUYS BALLOT (Extraord.).

IN FACULTATE THEOLOGICA.

H. BOUMAN.
H. E. VINKE.
B. TER HAAR.

LECTORES.

G. DORN SEIFFEN, Lit. Humaniorum.
I. H. HISGEN, Lit. Germanicarum.
I. VENNING, Lit. Anglicarum.
I. W. GUNNING, Chemiae.

DOCTORES ACADEMICI.

A. C. OUDEMANS.
C. L. VLAANDEREN.

ORATIO

DE

OFFICIO IURIS INTERPRETIS ET LEGISLATORIS IN PATRIA NOSTRA,

QUAM HABUIT

IACOBUS VAN HALL,

DIE VI M. APRILIS A. CIƆIƆCCCLVI,

QUUM MAGISTRATUM ACADEMICUM DEPONERET.

ACADEMIAE RHENO-TRAIECTINAE CURATORES! VIRI AMPLISSIMI!

QUI PROVINCIAE TRAIECTINAE PRAEES, UT PROCURATOR REGIUS! VIR AMPLISSIME!

QUI CURATORUM COLLEGIO AB ACTIS ES, VIR CONSULTISSIME!

QUI IN HAC, VEL PROVINCIA, VEL URBE, AUT IURI DICUNDO, AUT COMMODIS CIVIUM PROCURANDIS PRAEESTIS! VIRI INTEGERRIMI, GRAVISSIMI!

QUARUMVIS DISCIPLINARUM PROFESSORES, COLLEGAE CONIUNCTISSIMI!

LECTORES, DOCTORES, VERBI DIVINI INTERPRETES! VIRI ERUDITISSIMI, PLURIMUM VENERANDI!

ACADEMIAE CIVES! IUVENES LECTISSIMI, COMMILITONES OPTIMI!

QUOTQUOT DENIQUE HUC CONFLUXERITIS, DIEM ACADEMIAE NATALEM NOBISCUM CELEBRATURI! AUDITORES HUMANISSIMI, EXOPTATISSIMI!

Trita est et obsoleta fere, quae de legum codicibus conscribendis agitata fuit, quaestio, neque is ego sum, AA.! qui huius diei abutar solemnitate, ut in hac doctissimorum hominum frequentia subtiliter inquiram, num rebus ipsis factisque se probaverit Savignii, viri summi, sententia, imparem fuisse existimantis iurisconsultorum legislatorumque sive doctrinam sive ingenium, ut tantae molis opus probabiliter perficeret. Codicem suum, quo totius Europae gentes arctius cum suis Franco-Gallis iungeret atque in suam adeo ditionem redigeret, promulgaverit Napoleon! Legum codicibus scribendis adoptandisque optatissimam coniunctionem atque unitatem consequi tentaverint Germani! Et Galli et Germani spe sua destituti

fuerunt, quandoquidem neque, ut placeret peregrinorum dominatio, efficere potuerunt probabiles ceteroquin leges, neque inducendis alius gentis placitis institutisque exsistere potuit unitas illa Germanica. Scilicet ex iis quae peregre adsciscuntur, morum legumque oriri non potest nisi confusio atque complicatio. Neque enim mores, consuetudines, leges adeo, pallii instar, cum aliis moribus, consuetudinibus, legibus commutare licet, sed ita iis, quae apud nos valent vigentque studiis admiscentur quasi aliena, quae non ita facile cum illis coalescunt atque adeo conspirant; iuris fontibus accedunt novi, atque dum simplicior atque aequabilior excogitatur iuris conditio, intricatior atque iniquior fere exoritur. Quodsi non ex legibus peregre adscitis transscribantur, sed patriis ex moribus deducantur leges novae, sane non tanta derepente exsistet iurium turbatio violentaque rerum pristinarum conversio, at vel sic tamen verendum ne, qui omnem universamque describere conetur iurium civilium in patria rationem, non aeque in singulis eius capitibus recte atque vere sustinere valeat legislatoris personam.

Sed, ut dixi, AA.! haec quidem quaestio et trita est, quippe per quinquaginta ferme annos in varias partes agitata, et obsoleta atque supervacanea; nam habent iam pleraeque Europae gentes, habemus nos in patria nostra codices, quibus apud nos quidem adiiciendus tantum videtur de criminibus atque poenis codex, ut totum legum nostrarum si non illustre monumentum, at aedificium tamen absolutum esse videatur.

Quid igitur est cur quaeram, utrum felicem rerum nostrarum conditionem praedicare oporteat, qui legum codicibus utimur fruimurque scriptis, an vero de ea re querela instituenda sit. Certas omnibusque palam cognitas alii extollant leges, quae incerti parumque cogniti iuris occupaverint locum; alii veram genuinamque iurisprudentiam, nisi funditus eversam, at arctis tamen cancellis circumseptam clamitent! Omnes hi oleum operamque perdunt, neque enim tolli aut debent aut possunt scripti iam codices, sed id agendum, ut iurisprudentiae conditionem, post novos codices, qualis sit, probe intelligamus, eo potissimum consilio, ut quid iuris interpreti, quidque legislatori iam hoc nostro tempore agendum et factitandum sit, probe cognoscamus.

Dicam igitur *de officio iuris interpretis et legislatoris in patria nostra, hac Codicum nostrorum conditione.* Vos, AA. HH.! pergite, ut coepistis, me, de gravissima quaestione breviter dicentem, aequis et attentis animis auscultare.

Ex diversis gentibus stirpibusque, paullatim commercio atque foederibus inter se iunctis, Belgii foederati coaluerunt incolae: magna pars Frisicae nationis, meridiem versus Franci, orientem versus Saxones. — Territorium in regiones diversas divisum, quae singulae suis parebant principibus, suis institutis moribusque utebantur. Hic agricultura atque venatio, illic mercatura atque navigatio plurimum valebat. Mox unus atque alter princeps prae ceteris eminens, vel Gelriae dux, vel Hollandiae Comes, vim et efficacitatem in vicinas regiones exserebat, donec tandem CAROLUS V, Germaniae imperator, singulas in unam ditionem quasi copulavit regiones; quo factum, ut iam magis magisque ad similitudinem atque unitatem quandam vergere inciperet iuris civilis in patria nostra conditio. Scilicet, ex *gentium* legibus moribusque iam ipsarum *regionum* descriptae erant leges; iura sua atque privilegia sibi invicem non dissimilia describenda obsignandaque curaverant oppida atque communitates; accesserat iam Romani iuris insignis auctoritas, neque deerat efficacitas iuris pontificii; denique Concilium aderat Mechliniae supremum, quod legum iuriumque discrepantiae medelam allaturum esse videbatur. Meministis, AA.! quomodo CAROLUS V hac temporum opportunitate uti studuerit, ut leges, in regionibus communitatibusque nostris vigentes, recensendas et purgandas curaret, quo eas in *luculentam consonantiam* redigeret atque inter se conspirantes efficeret. Meministis item, quomodo Dux Albanus, PHILIPPO regnante, eadem vestigia premere tentaverit; sed nemo item vestrum ignorat, quomodo haec omnia post fractam Hispanorum dominationem mutata fuerint. Scilicet foederatum illud Belgium postquam religionis libertatem adeptum est, generosa quaevis genti quasi insita studia explicans, mercaturam agitavit atque opificia, artes atque disciplinas; sed ita, ut singulae provinciae suos potius mores, sua iura suaque instituta excolerent, quam ad vicinae regionis rationem sese componerent; foedere autem se maxime adversus hostem communem iunctas existimarent. Vergebat ita fere iuris conditio, usque ad CAROLI V tempora, ad unitatem; abiit in diversas utique partes, reipublicae foederatae temporibus.

Quod dixi de singulis provinciis, id valet etiam de diversis praecipuarum provinciarum communitatibus. Dici adeo vix potest, quanta in Hollandia maxime exstiterit iurium diversitas, quandoquidem proprii iuris condendi privilegium, quod olim antiquioribus et potentioribus communitatibus concessum erat, iam ab aliis etiam usurpabatur; magis autem magisque in lege, *communis* quaedam ipsius, seu civitatis, seu communitatis, agnoscebatur *sponsio*. Quo factum, ut suis legibus haud ita multis ipsa Hollandiae uteretur provincia, sed mox suas propriasque obtinerent non tantum oppida complura, sed etiam universitates atque collegia ferme singula. Profecto nisi de iuris civilis capitibus bene multis mores conspirassent atque corpus iuris Romani agnitum fuisset tanquam ius subsidiarium, exstinctum prorsus et obsoletum in patria nostra fuisset commune aliquod Belgii foederati ius!

Quodsi primis post conditam novam rempublicam temporibus vestigia Caroli V eatenus secuti sunt patres nostri, ut de nonnullis iuris capitibus, iis maxime quae cum novo rerum ordine cohaererent, novas leges condiderint provinciales, de redigendo provinciali iure in artis formam, de colligendis describendisque legibus ipsis, facta quidem subinde quaedam apud ordines fuit mentio, sed serio eiusmodi opus in Hollandia numquam fuit susceptum, in ceteris autem provinciis, qui generaliori utebantur provinciali iure, minus adeo erat necessarium.

Erat igitur haec fere conditio iuris nostri, cum sub finem superioris saeculi e rerum politicarum conversione exsisteret respublica, Batava quae dicebatur, cum Frisica vel Hollandica, Gelrica vel Traiectina sine invidia appellari non posset. Ut in republica Francorum, ita in nostra quoque *unus* legum codex videbatur condendus. Sed non erat in hac, ut in illa, una quaedam longe potentissima civitas, cuius bene nota satisque recte conscripta et tamquam ius subsidiarium agnita *consuetudo* in novo codice magna pro parte describeretur. Neque aderant nobis nobilioris alicuius iurisconsulti scripta, quae, ut Pothierii scriptis in Gallia contigit, ita in nostros usus converteremus, ut e commentatore textum ipsum legis constitueremus. Facile itaque praescribi poterat in lege fundamentali eorum

temporum, legum codicem esse condendum, qui totius iuris, civilis, inquam, mercatorii, poenalis ambitum complecteretur et intra biennium esset promulgandus, sed non ita facile huic voto satisfiebat. Ex variis autem patriae regionibus convocati fuerunt, qui de condendis legibus agerent iurisconsulti; quid mirum, si quisque suae provinciae iura potissimum in codicem recipienda censeret? Novum aliquod iuris systema e discrepantibus dissimilibusque placitis erat componendum; quid mirum, si iuris doctrinam, *veram illam non fucatam philosophiam*, arbitrum adhibendum censuerint illi, qui non imitandos unice esse Franco-Gallos, sed probabilem legem, nostratium moribus accommodatam, scribendam arbitrarentur? Quid multa? Quaestio utrum *una* an *foederata* magis placeret respublica, ancipiti eventu agitata, novarum legum parum populare studium, NAPOLEON legislator non Franciae tantum sed generis humani fere salutatus, denique LUDOVICUS, eius frater, ad regium imperium turpiter evectus, haec omnia quominus perferri et absolvi possent hae leges, facile prohibuerunt.

Nota sunt quae mox insecuta sunt. Novus rex, — ut in civilibus rebus subsistam, — codice Napoleontico tanquam exemplo utendum censuit; praeclari vero, quorum opera usus est, iurisconsulti, pro moribus patriis codicem illum emendantes et supplentes, legem iuris civilis condiderunt suis laudibus non defraudandam; sed mox intra biennium NAPOLEON regiones nostras suae ditioni adiecit, ipsosque codices Francicos, cum legibus et senatusconsultis et decretis bene multis, patriae, ut pro lege valerent, imposuit, quo factum, ut pristinum vere patrium ius tantum non omne interiret!

Sed, ecce, intra triennium nova rerum conversio! In libertatem se vindicat patria; Belgii foederati princeps salutatur GUILIELMUS Arausiacus, mox dignitate regia ornandus. Scribendi codicis nova exoritur et opportunitas et necessitas adeo. Sed quantum in modum iam auctae sunt difficultates! Iam non agitatur unice quaestio: praeferendumne ius vel Hollandicum, vel Frisicum, vel Gelricum; sed accedit nova quaestio: placeretne componi leges proprias, an describi leges Franco-Gallicas. Meministis quantopere laboraverit in hoc rerum discrimine KEMPERUS, dignissimus ille CRASSI discipulus, qui eiusdem causae in primo legislatorio concilio primarius fuerat patronus. Vix auctoritate regia fretus collegis ut leges

scriberent patrias, non describerent Gallicas, persuaserat KEMPERUS; quin iurisconsultos Belgas nactus est adversarios, quibus nihil, nisi quod cum legibus Napoleonticis ad verbum concineret, placebat; mox vero in supremo delegatorum consessu ita praevaluit haec sententia, ut vel deponendum esse videretur codicum scribendorum propositum vel cedendum tempori. Itaque, ut mutata quasi velificatione in portum tamen aliquando adpelleret, consilium mutavit GUILIELMUS Rex. Leges Ordinibus offerendas curavit, quae magna pro parte codicis Franco-Gallici repetitam continebant praelectionem, non sine supplemento tamen aut emendatione, quas ipsas non sine difficultate tandem pertulit, ut eas post Belgicam rerum conversionem denuo immutaret, „quo magis", ut ait ipse, „eas ad nostrorum hominum utilitatem accommodaret"; atque ita tandem, post quinque fere lustrorum laborem, in vitae usum induceret.

Profecto, Auditores! neque doctis neque populo placere potuit patria illa *codificatio*. Opus vix susceptum deponitur rursus e manibus, ut mox denuo suscipiatur; ita autem faciem continuo mutat, ut, eo quidem tempore, oleum operamque perdere videretur, si quis in ea quae proponebantur paulo subtilius inquirendum deque iis adeo disceptandum censeret! Quid, quod leges propositae ita non facile cognoscebantur? Quod ignorabantur prorsus quae in supremo reipublicae consilio de iis agitata fuerunt? Quod regius administer apud ordines non legem tuebatur, qualem ipse probabat, sed quam conscripserant alii?

Equidem non is sum, qui non magni faciam haud paucos eorum, qui scribendis codicibus operam dederunt, sed in enarrandis nostrae illius codificationis difficultatibus eo maxime proposito occupatus fui, ut ostenderem non hominum sed temporum fuisse vitium, si fictae refictaeque leges non tales tandem apud nos exstiterint, quales sibi exoptet populus, qui peregrinas sibi impositas leges, post viginti quinque annorum laborem, tandem aliquando depositurus est.

Dicam scilicet quod sentio: codices nostri

primo *non semper conveniunt cum veris et genuinis iuris principiis;*

deinde *non satis plenam iuris, quod in patria viget, continent descriptionem;*

denique tales continent *verborum sententiarumque formulas*, quibus id, quod voluit legislator, saepe vel *parum accurato* vel *parum correcto sermone*, exponitur.

De his tribus vitiis patiamini ut paucis agam, de officio tum interpretis tum legislatoris ita promta parataque erit dicendi opportunitas.

Codicibus nostris non semper continentur vera atque genuina iuris principia. Neque mirum! Modo e codicibus Francicis descripta, modo e fontibus iuris patrii antiqui depromta sunt iuris placita: hoc quidem deliberato proposito, atque in iuris Nederlandici insigne saepe emolumentum; illud vero ut fors subinde ferebat, ne locus iuris in codicibus nostris deesset, qui in codicibus Francicis exstabat. Quodsi hic locus esset talis, de quo scite prudenterque leges conscriptae erant a Franco-Gallis, bene quoque feliciterque id legislatori nostro cessit.

Ita probabiliter in artis formam redacta sunt ea iuris placita, quae quaestiones spectant atque iuris loca in ipsa rerum politicarum conversione sub finem superioris saeculi agitata, cum iuribus civium atque familiae cohaerentia, atque in Codice Napoleontico iam satis recte descripta. *Patria* tamen *potestas* vel sic, magis quam par erat, vel circumscripta vel sublata; nulla adeo *exheredatio* permissa. Locus autem *de iure dotium* et de *absentibus* haud uno nomine amplificatus est et emendatus. *Communio bonorum pactaque nuptialia* e moribus nostris explicata fuerunt et in *absentibus* cessavit perabsurda iuris Francici fictio, qua absens neque, ut fato functus, locum viventibus cèdere, neque, ut nondum mortuus, cum his ad hereditatem admittendus censebatur.

Quoties vero de negotiis agendum esset inter homines obviis, quorum natura non ita plane pendet a politicis quaestionibus turbisque, longe minor animadvertitur legislatoris tum Franco-Gallici tum Nederlandici cura. Exemplo sit gravissimus lateque patens iuris locus, qui est *de obligationibus*. Hic legislator noster Gallicum pressis vestigiis sequitur, ille autem felicem se praedicaverit oportet, quod Pothierii de iure civili tractatus in theses redigere ei licuerit. Et attendite quaeso, quae hinc in utroque codice exstiterit dicendi disserendique dissimilitudo. Definitiones distinctionesque

scholae relinquendas esse, legislatoris vero esse iubere atque vetare, clamitat legislator in Gallia, clamitat etiam legislator patrius; desiderantur itaque eiusmodi placita in primo utriusque codicis libro, inveniuntur vero in secundo, frequentia sunt in utriusque codicis libro tertio. Sed hic doctum sequuntur, planum et subtilem iurisconsultum Aurelianensem, neque negligere audent, quod hic ad rem facere optimo iure existimavit. Meministis, AA.! iurisconsultos, qui cum Henr. Const. Crasso in codice conscribendo occupati fuerunt, ipsos quoque iuris doctrinam non neglexisse, Kemperum autem eundem in modum pleniorem introductionem codici praemittendam censuisse, neutrum vero sententiam suam obtinuisse. Ita contigit, ut de *legibus* interpretandis placita iuris in codicibus nostris desiderentur, de *testamentis* vero atque de *contractibus* explicandis inveniantur. Quo factum, ut analogica interpretatione haec ad illa trahantur; sed legislatorem ita parum sibi constare nemo non videt. Attulit autem illa, quam dixi, Pothierii in codificatione Francica auctoritas, a qua non satis sibi cavit legislator noster, illud utrique iuri incommodum, ut, si quid ille minus recte dixerit, id iam legislatoria auctoritate confirmatum sit. Manifestum exemplum est in vexatissimo loco de *obligatione dividua et individua.* Pothierius hic sequitur Molinaeum, in *extricatione labyrinthi dividui et individui*, sed ita ut e labyrintho illo sese expedivisse non videatur. Franco-Galli Pothierium, nos Franco-Gallos sequimur, qui hic relinquendi et cum iuris interpretibus, sive Hispanis, sive patriis, commutandi sunt.

Non vacat hic singula percurrere iuris capita, in quibus vera iuris principia negliguntur, sed unam commemoro *ab intestato successionem*, ut verbo significem, in hoc longe gravissimo iuris civilis argumento prorsus abesse aliquod iuris principium, ex quo regulae de successione adscendentium et collateralium explicentur. Neque hic quaero, an praeferendum sit iuris Iustinianei principium, ex quo ad proximum quemque omnis hereditas defertur, an feudale illud: *paterna paternis*, *materna maternis*, quod aequabilitate sese commendare videtur, et quod apud Franco-Gallos Cambacerium habebat propugnatorem. Iure consuetudinario hoc, iure scripto illud in Gallia sequebantur et apud nos quoque illud *Asingico*, hoc *Scabinico* iure obtinebat; — sed tantum animadverto in legislatore nostro aeque atque in Francico, quod iam Toullierius notat, nullum in hoc iuris loco vel

esse vel apparere iuris principium. Bona neque conservantur in familia, neque proximo vel adscendenti vel collaterali deferuntur, sed dimidia bonorum pars proximo, sive adscendenti sive collaterali, in linea paterna, dimidia proximo in linea materna defertur, ita ut remotissimus saepe cum proximo, quin unus subinde remotissimus cum pluribus proximis hereditatis aequalem partem capiat. Egregie sane hoc valet ad comminuenda dispertiendaque locupletiorum patrimonia; idque probari potuit tempore Gallicae illius rerum conversionis ante hos sexaginta annos factae, sed, in Gallia aegre conservatum, in codicem nostrum omnino non erat recipiendum. Quid quod id, quod per se iam satis erat grave, deterius etiam reddiderunt nostrates, inducta *repraesentatione* quadam *collateralium*, qua proximi ab intestato in quaque linea portio rursus dividenda sit cum descendentibus fratris vel sororis illius qui iure proximitatis hereditatem obtinet. Quod novum iuris praeceptum ita negligenter est definitum, ut ex pluribus eiusdem gradus atque lineae collateralibus alter solus suam portionem obtinere, alter eam cum descendentibus ex fratre vel sorore natis dividere videatur.

Sed haec quidem sufficiunt, unde appareat non omnia aeque diligenter atque eleganter in codicibus nostris exposita esse et explicata. Non minoris autem momenti est alterum hoc, *non satis plene in codicibus nostris totius iuris delineatum descriptumque esse ambitum*. Quod cum dico, e codice quidem civili fere omissum locum cogito de *persona sive ficta sive morali*, quae tamen vix minoris momenti locum occupat, quam persona naturalis. In primis vero codicem mercatorium cogito, qui tamem gravissima iuris capita continet, ac longe plura quam ullus alius, qua patet Europa, mercatorius codex. Scilicet primarius inter mercatores et celebratissimus contractus *emtio* est et *venditio*, ita quidem, ut in emtione cum animo vendendi aut locandi ipsa notio ponatur *actus mercatorii* proprie sic dicti: et vel sic tamen de emtione, venditione in mercatorio codice ne verbum quidem! Quid mirum igitur, si de *mercibus*, earumque vel *traditione* vel *evictione*, saepe incidat quaestio? Emtio venditio *in diem*, eaque quae *sub praemio* ita contrahitur, ut ab altera parte obligatio firma sit, ab altera poenitentiae sit locus, ne commemoratur quidem. De *oppignorandis mercibus* vel *apo-*

chis publicis, de apochis *in fiduciam datis* cum pacto antichrestico, verbo, de conventionibus ferme singulis, quae circa *apochas publicas* contrahuntur, altum est in legibus nostris silentium. Ipsa autem mercium quotidiana traditio, quae contineri videtur *traditione tituli* sive *instrumenti*, a mercium depositariis sive custodibus subscripti, negligitur prorsus. Denique, ut in praecipuis subsistam, codicibus nostris deest ipsa doctrina de *actionibus*, quam *theoriam* hodie vocant *processus civilis*, etsi eam iam desideravit in Gallia cassationis curia, apud nos Clariss. NIENHUIS. Scilicet doctrinam eam in codice adumbraverant quidem, quibus eius scribendi cura fuit mandata, sed Ordinibus quidquid cum Napoleontico iure non conveniret fere reiicientibus eam ad deliberandum proponere ausi non sunt.

Superest, ut de ipsa *dicendi explicandique* dicam *forma*, quam legislator secutus est. De quo argumento si vernaculo sermone agerem et exempla in singulis fere titulis obvia adferre vellem, dies facile me deficeret. Scilicet quaestio agitur de *vocabulis* dicendique *formulis*, ex antiquitate magis minusve feliciter excitatis, de *verborum constructione* subinde Francicam quandam vel originem vel imitationem subolente, de *sententiis* vel obscuris vel antiquis; maxime vero de verborum atque formularum confusione inde orta, quod *eadem res* saepe *diversis vocabulis*, subinde vero *diversae res una eademque verborum formula* significatae sunt. Quominus vero me poeniteat haec latine quidem plenius exponi non posse, faciunt quae de hoc argumento acute ut solet, et eleganter, et copiose disputavit harum rerum sagacissimus observator ASSENIUS. Quodsi, legislatoris nostri causam suscipientes, de summa harum rerum difficultate, de codicum in patria nostra novitate, de ipso sermone nostro hac quidem in parte nondum satis forsitan exculto, disputandum censetis, habebitis me vobis adsentientem; sed vel sic tamen manet hoc: esse in ipsa dicendi disserendique ratione quae in codicibus nostris emendationem requirant, ut sit plana, simplex, evidens, nostro denique legislatore haud indigna.

Sed quorsum haec omnia? Num praeter propositum eo fortasse tendit oratio, ut parvi faciendae, despiciendae adeo leges nostrae esse videantur?

Minime vero! Insunt bene multa laudibus non destituenda, quaeque minus probanda sunt vitium, ut dixi, continent magis temporum quam hominum; sed iuris interpretem decet principia iuris diligenter ante oculos habere, iuris ambitum considerare, accuratum dicendi genus non negligere. Cavendum, ne legum vitia perpetuam aequi bonique normam, iurisprudentiam ipsam, in patria evertant. Quae probanda sunt ab iis quae reprehendenda diligenter distinguentes, efficiemus, ut codicibus suus stet honos, maxime vero, ut quae in iis insunt bona iustitiae bene administrandae prosint, quae prava minusve probanda parum obsint. Legislator scilicet non dicendus est scripta lege uti, ut ius evertat, sed ut illud confirmet, maxime vero, ut iura ipsa civibus innotescant.

Itaque iuris interpres, Romani non minus quam Germanici iuris peritus, patriique iuris sagacissimus indagator, ad vera iuris principia singulas legislatoris sententias exigit, et ex veris recepti iuris principiis singula codicum placita explicat, aureum illud Romanorum praeceptum secutus: *scire leges non est verba tenere sed verborum vim atque potestatem.* Quodsi hic illic in iniquam aut parum aptam, at claram tamen legis sententiam, neque interpretatione molliendam, offenderit, ipsum illud: *hoc quidem perquam durum sed ita lex scripta*, legislatorem admonebit de necessitate vel supplendi legem vel emendandi. Interim vero apud auditorem vel lectorem genuinae iurisprudentiae confirmabit auctoritatem, ipsorumque animum ingeniumque ad veram prudentiam civilem formabit.

Quodsi vero quis non tantum, humanae imbecillitatis probe memor, codicum scriptoribus humani quid patientibus facile ignoscat, sed ipsa adeo vitia sileat, vereor, AA.! ne hic gravius multo damnum adferat, quam is qui negligentius quam oportet leges scripserit. Potest scilicet quod in legibus parum recte scriptum est vel omissum ex iuris disciplina vel suppleri vel corrigi, sed ubi semel obscurata ipsa iuris doctrina est, vanae prorsus atque inutiles erunt ipsae etiam recte scriptae leges!

Atque hic quidem venio sponte ad *Legislatoris officium.* Leges hic non scripsit, ut iam deinceps immutabile esset ipsum ius, sed ut iuris conditionem tum certiorem redderet, tum vero etiam emendaret. Quodsi quis ita generis humani et naturam et historiam ignoret, ut putet probabiliter

scriptis legum codicibus posse se iam deinceps a ferendis legibus excolendoque iure vacare, gravem hic et turpem errorem committit. Quae conscribuntur leges paulo pleniores eam explicant aut emendant iuris conditionem, quae ipso scriptarum legum tempore obtineat, quaeque adversus hominum vel iniuriam vel socordiam vindicanda sint indicant, in primis vero ea continent iuris controversi capita, quae hoc ipso tempore inter homines agitentur. Ita leges Germanicarum gentium et Romanae, quae vel Constantinopoli vel Tolosae vel alibi conscriptae sunt, ex temporum opportunitatibus exstiterunt, explicandae illae vel ex gentium migrationibus, vel ex inducta religione Christiana. Postea scribendis legibus locum dederunt expeditiones sacratae, saeculo sexto-decimo sacrorum reformatio, sub finem vero superioris saeculi ipsa rerum politicarum conversio: singulis autem hisce temporibus ea diligentius conscripta fuerunt iuris capita quae cum novis rebus studiisque maxime cohaererent. Quae causa est, cur, ut vidimus, in condendis conscribendisque civium ac personarum iuribus, multi verique nominis legislatores fuerint, iuris Napoleontici conditores, in reliqua vero iuris doctrina parum diligentes saepe compilatores. Quod qui animadverterit ei facile persuadebitur, mutationes, ante hos duodeviginti ferme annos in iuris nostri conditione factas, tales esse quae vel exstinguere apud nos iurisprudentiam possint civilem, vel iurisprudentiae egregie prodesse, prouti minus magisve sui officii naturam rationemque perspiciat legislator.

Est sane aliquid, patrio sermone conscriptos nobis in manu esse codices, iam non unice e Franco-Gallorum moribus et e Francici sermonis ingenio explicandos. Sed plures etiamnunc quam oportet supersunt leges, senatusconsulta, decreta, quae ut Francice conscripta, Francorum magis quam nostratium moribus et usui respondent; tum vero in ipsis codicibus non desunt, quae in Galliam unde ad nos venerunt sunt releganda. Eadem igitur hac in re via est procedendum, quam ingressus erat legislator, cum post Belgicam secessionem ad gentis nostrae utilitatem unice exigendos esse codices censuerat. Neque verendum, ne ita, aliis super alias coacervatis legibus, iurium confusio aliquando oriatur, si prudenter et ad certam normam in hoc officio explendo procedat legislator. Ex usu vitae oriuntur necessitudines, ex necessitudine ius, ex iuris notione depromatur lex necesse est. Itaque

attendendum, et attendendum quotidie, quae existant novae inter homines necessitudines, quaeque leges ita vel desiderentur prorsus, vel iam parum aptae esse videantur. Id vero in primis attendat legislator, legem *scribi*, sed ius *nasci*, ad iuris normam ita revocandas esse omnes leges; in patria autem Regi atque populi Delegatis legislatoriam potestatem non esse vel conservatam vel oblatam, ut iniquas aut inutiles leges conservent, sed ut eas vel emendent, vel cum aequis populoque utilibus commutent. Quodsi laudamus ipsius legis *fundamentalis* quae dicitur, quasi non moribus, institutis atque historia, sed paucorum articulorum codice tanquam *fundamento* nitatur patria; — quodsi, dico, laudamus ipsius legis fundamentalis repetitam subinde praelectionem, si laudamus hoc ipsum, in novissima editione faciliorem esse huius legis inductam emendationem, quidni etiam legis civilis et emendationem probemus et suppletionem?

Sed caute hic procedendum! Sententiae iudicum, interpretum commentationes, maxime vero ipsius vitae civilis necessitates considerandae et perpendendae sunt, idque diligenter et assidue; neque tam figendae et refigendae leges, quam tollenda ex legibus ea de quibus bene constiterit vitia, supplendae, de quibus peritiores consenserint, lacunae. Ita procedente tempore, non codices habebimus in dies peiores minusque temporum rationibus accommodatos, sed tales, qui mutatis temporibus mutentur ipsi, certiusque in dies et aequabilius ius constituant. Arduum profecto opus, sed dignum illud, in quo perficiendo iuris interpretes, quique iustitiae administrandae praesunt magistratus, cum legislatore conspirent!

Nec me movet opus illud esse quasi instar Penelopes telae, tale scilicet, quale nemo umquam absolutum perfectumque adspecturus sit. Illud enim legum probabiliter scribendarum cura commune habet cum singulis fere reipublicae bene administrandae partibus.

Ut colenda semper erit industria, curandi mores, emendanda quaeque instituta civilia, ita in primis perpetua quadam cura colendae sunt leges, ne in dies minus vitae usui accommodatae esse videantur. Neque nego, AA.! hoc quidem nomine difficiliorem esse conditionem populi, apud quem codices generaliores, quam illius, apud quem sparsae tantum atque singulares leges usurpantur. Sed, ut redeat oratio unde exorsa est, non quaestio in patria agitatur haec, an codices videantur conscribendi; sed quomodo

caveatur, ne codices iam dudum scripti irreparabile iurisprudentiae damnum allaturi esse videantur?

Perpetuum itaque cogito iuris interpretis, perpetuum item legislatoris officium, unum tamen eo nomine ab altero diversum, quod illius sit doctrinae lumine singula iuris loca illustrare, singulosque codicum naevos, vitia, lacunas ostendere, huius vero duplicem quaestionem agitare: alteram, an iam satis de ipso vitio deque medicinae adhibendae opportunitate constet; alteram, quale tandem adhibendum remedium sit, ne ius scriptum ab alio in aliud ruere vitium periclitetur. Ita non temere et incaute novum continuo ius conditurus, sed suo quasi stilo confirmaturus est, quod mores primum agnoverint, aut temporis ratio iam dudum efflagitaverit. Praecipuus autem labor iuris interpreti in eo positus est, ut practicam legis efficacitatem satis recte pleneque cognoscat; legislatori in hoc, ut morbo propriam et tempestivam medicinam adhibeat; utrique communis labor, ut universi iuris scripti atque non scripti ambitum, indolem et historiam ita perspiciant ut singulis placitis suum propriumque locum adsignent, atque ita, dum singulis partibus subveniunt, universam iuris prudentiam, vere hoc nomine dignam colant, foveant, emendent et amplificent.

Equidem scio, AA.! quam late hic pateat campus, sed idem hoc non ignoro, non nisi de iis iuris capitibus ferendas esse leges suppletorias vel emendatrices, de quarum utilitate aut necessitate plane constiterit. Quo nomine aliud omnino a legislatore praestari volo, quam quod vulgo ab eo postulatur, ut nempe leges condat etiam de iis argumentis, de quibus ne inter doctos quidem constet, quem in modum definienda sint.

Mihi quidem, AA.! non placet novarum legum studium, etsi fortasse ipsa lege fundamentali iam declaratum, quod argumenta spectet circa quae desideratur adhuc communis doctorum opinio et *quot capita, tot sententiae* saepe sunt. Leges requiro, quae e moribus ipsis quasi sponte nascantur, quae, ut facile perferuntur, ita semel constitutae diligenter observantur, leges dico tales, quae confirment, quod harum rerum peritis iam dudum aequum aut necessarium visum sit. In his autem codicum emendatio et suppletio primum facile locum obtinent.

Utinam huic argumento, quod alienum est a partium studiis, reipublicae vero longe utilissimum, tandem aliquando operam det legislator. Ita evanesceret quoque absurda illa quaestio num, conditis legum codicibus, institutisque iudiciis, opus sit adhuc administrativae iustitiae. Equidem conservandos esse et supremum iustitiae administrum et officiales illos, qui curiis atque tribunalibus adstant, iustitiae bene administrandae inspectores quasi et custodes, censuerim, sed his mandatum velim, ut quale sit doctorum virorum de legibus iudicium, qualisque legum in publicas privatasque res efficacitas, diligenter attendant, de ea re ad Regem referant, atque ita emendationem praeparent, lentam quidem illam, sed in perpetuum efficacem futuram.

Habetis meam qualemcumque de gravissimo argumento sententiam, non ex intimis artis quasi penetralibus depromtam, sed, ni fallor, pragmaticam, quandoquidem nihil est, quod pluris nostra interest, quam ut probabilibus utamur legibus, quod ita tantum nobis aliquando continget, si manum operi admovere audeamus, atque necessariam codicum emendationem negligere desinamus.

Quae de fatis Academiae dicenda supersunt magnam partem sunt laeta. Florentem Academiam regundam accepi, non minus florentem mox successori traditurus sum.

Floret nimirum Academia, quod non parvi faciendum est, insigni civium numero, ut hoc quidem nomine nihil sit, quod aut Leidensi aut Groninganae Academiae invideamus. Floret item, quod longe pluris est, civium Academicorum moribus, honestate, industria, praeceptorum observantia, studiorum amore. Equidem non is sum, qui hoc a generosa iuventute postulem, ut chartis ita impallescant, ut qui iuvenes se esse obliviscantur, ipsis studiis impares sese reddant. In iuvene iuvenem exopto. Quidquid agit id hilari vultu, animo alacri agat, non severitate aut ficta aut parum naturali, non adfectata quadam et senili gravitate, sed simplicitate et ingenuo animi candore sit insignis. Qui tali indole praeditus et probabili iustaque institutione formatus in Academiam se contulerit, huic Musae

non placere non poterunt; artes atque doctrinas, tam varias et tam arcto tamen vinculo inter se coniunctas, circumspiciet easque ex illis potissimum eliget et amplectetur, quae cum ipsius voluntate, ingenio studiisque maxime conveniant, ipsius quippe vitae tabernaculum aliquando in illis collocaturus. Non puer hic in subselliis praeceptori adsidet, ut ex eius ore ea excipiat memoriaeque mandet, quibus doctrinae schema aliquod sibi comparet, quod sane ab ipsa doctrina ita diversum est ut umbra a corpore, ossa a vivo animante; praeceptorem vero adolescens colit et amat, cum eum flagrantem videat eorumdem amore studiorum, quae ipsum quoque tenent, eique de gravissimis argumentis disputanti assiduus auditor adest, ut eo auctore atque duce in interiora penetret Musarum sacraria, earum ipse aliquando antistes futurus.

Tales, AA. HH.! cognovimus plerosque eorum, qui in hanc artium atque doctrinarum universitatem confluxerunt, sive in frequentatas iam a se scholas redeuntes, sive nunc primum in eas, numerosiores etiam quam antea, convenientes. Quod si quis fortasse unum et alterum desideraverit eorum, qui huic Academiae et his nostris scholis quasi destinati esse videbantur, complures praeter exspectationem hanc prae ceteris sibi elegisse doctrinarum sedem grati animadvertimus. Egregie autem id a civibus nostris actum est, ut bonam Academiae nostrae apud bonos existimationem integram servarent. Equidem Rectoris munere ornatus fui, non oneratus, atque si legibus Academicis mihi nescio quae auctoritas, imo vero imperium aliquod aut iurisdictio, in studiosos iuvenes delata fuit, ad Rectoria ornamenta id pertinere visum est, potestate vero illa utendi locus fuit nullus.

Et vel sic tamen, AA.! Academicae iuventuti praeter meam vestramque spem id accidit quod vellem accidisset numquam.

Academica iuventus, quae placide hic adsidere vel circumstare videtur, in duo quasi agmina discessit, neque mihi, id tamen strenue totoque animo agenti, neque aliis Academicae iuventutis fautoribus contigit, quingentos illos iuvenes in unam vel retinere vel redigere societatem. Quid mirum, si vel profanum vulgus, vel illi quoque, qui harum rerum sagaciores, aut sunt, aut habentur aestimatores, hic vel generis ordinisve discrimen, vel politicarum opinionum dissensiones adesse vel opinentur vel suspicentur saltem! Egregie tamen illi falluntur. Quorum quidem error

vel eo arguitur, quod ei sodalitio, quod magna parte iuris studiosis constat, praeest theologus; ei vero, quod potissimum theologis constare dicitur, praeest iuris studiosus. In politicis autem rebus si certant, certant in eo utri pluris faciant et patriam et regem. Quid igitur est? Maior iam est studiosorum numerus, quum qui in unum facile cogatur. Genere, studiis, necessitudinibus diversi sunt. Quisque suos maxime amicos, socios et sodales exoptat, eoque arctius firmiusque amicitiae vinculum se contracturum existimat, quo minus id ad omnes academiae cives pertinere intelligit. Videor mihi ita explicuisse, quod non probo, imo vero quod vehementer reprehendo. Una est scilicet Academia nostra. Uno vinculo continentur diversa studiorum genera. Itaque cari sint amici, cari propinqui, cara sua cuique studia, at omnes omnium caritates Academia, veluti altera patria, complectatur! Sola concordia nostra vestraque, generosi iuvenes, florere et crescere possunt res nostrae!

De civibus Academicis dicenti, triste quotannis imponitur Rectori officium eos breviter commemorandi, qui Academiae parentibusque praematura morte erepti sunt cives. Nam vix, ac ne vix quidem annus praeterire solet, quin nobis eripiatur unus et alter eorum, qui in meliorem spem nobis dati et commendati videbantur. Ita me quoque Rectore tres iuvenes lectissimi, huius Academiae cives, diem obierunt supremum, quorum duo Philippus Wacker, Essingensis, et Iacobus Rubenkoning, Amstelodamensis, Academiae nostrae ostensi magis quam dati fuerunt, tertius Guiliemus Romar, e pago Amstelveen, scholis nostris vix annum interfuit. Sed de Wackero quidem, Theologo, ex Academia Erlangensi modo huc translato, quum fato functus est, tu, clarissime Vinke! ad funus egregie et pro meritis dixisti, de Iacobo Rubenkoning, cive meo, Medicinae studiis destinato, equidem laetissimam spem conceperam, cum mihi, nominis inscriptionem petens, egregie placeret simplicitate nescio qua cum honestate coniuncta, qua sese paternum nomen et Amstelodamense decus in Academia esse tuiturum promittebat. Guilielmum denique Romar, Theologiae destinatum, mater vidua primum Arnhemiam ubi Gymnasio

interesset, deinde Traiectum comitata fuit; eadem nunc filium unicum luget, de quo optima quaeque sperare ei licuerat.

A studiosis ad nostrum ordinem, pro mei muneris ratione, pergo. Et hic quoque ereptum nobis lugemus collegam, virum optimum, aequalem meum, PETRUM IOHANNEM ISAACUM DE FREMERY, in facultate Matheseos et Philosophiae Naturalis Professorem extraordinarium.

Profecto, AA.! a me non exspectatis, ut eius merita iusto pretio aestimem, ab eorum tamen mentione me penitus abstinuisse nolim. Natus d. 19 m. Mart. a. 1797, multis animi ingeniique dotibus patre NICOLAO CORNELIO DE FREMERY haud indignus erat filius. Meministis, quomodo iisdem atque ille philosophiae naturalis studiis deditus, eo praeside, 27 Ian. 1819, zoologiae peritiam declaraverit, scribenda publiceque defendenda disputatione de *casuario novae Hollandiae*, mox autem (10 Maii 1819) Medicinae Doctor creatus fuerit, scripto specimine inaugurali de *hydrope ligamentorum uteri*. Brevi post in schola veterinaria ei cathedra fuit oblata, in physicis, chemicis et pharmaceuticis, quam docendi provinciam obtinuit, donec ante hos quinque annos, novum in modum ordinata illa schola, honestam cum collegis duobus obtineret missionem. Interim in Academia nostra *Professor extraordinarius* (Decr. regio d. 24 m. Mart. a 1829), mox honoris causa *Math. Magister Philos. natur. Doctor* creatus est. Sed quominus docendo multum praestaret, tum eo factum est, quod Ordinariis professoribus, docendi munere optime fungentibus, ille extra ordinem collega accederet, tum vero eo, quod, in gratiam multorum, praxin factitabat medicam et utrique collegio rei medicae, provinciali dico et oppidano, interesset, illi quidem ab actis, huic adeo Praeses. In Academia tamen, donec MULDERUS (a. 1840) NICOLAO CORNELIO DE FREMERY succederet, *chemiam* docebat *applicatam*, inde ab anno 1851 *mineralogiam* et *geologiam* et, cum a. 1849 Rectoris magnifici munere defungeretur, audivimus eum ex hac cathedra de socero suo IANO KOPSIO *eiusque in patriam meritis* pie vereque verba facientem.

Duxerat scilicet DE FREMERY MARIAM KOPS et complures ex ea suscepit liberos; quo factum ut re familiari uteretur minime lauta. Quod si quis

censeat, potuisse eum magis curare externum corporis habitum cultumque, talis incuria cadit haud raro in optimos et eruditissimos viros. Idem vero bonis artibus literisque, quae ad humanitatem pertinent, egregie erat eruditus, tali autem erat animi candore atque simplicitate, ut cum amicos coleret, tum de inimicis aeque et modeste existimaret. Aegrotantes autem in primis magni eum faciebant. Nec mirum! Nam illi, penes quos est harum rerum iudicium, optimum eum esse censuerunt *diagnosticum*, qui quum naturam morbi optime perspiceret, simplicem ei propriamque medicinam eo facilius adplicabat, quo ipse in re pharmaceutica erat peritior. Quanta autem ipsi esset aegrotantium cura, eo potissimum tempore apparuit, quo Traiectum penetraverat tristis ille morbus, cuius natura, causa, universa denique ratio adhuc doctissimum quemque latuit. Ingruenti malo obviam ivit DE FREMERY, et, si doctrina, experientia, cura, virtute comprimi aut arceri a civitate nostra potuisset, hoc eius potissimum diligentia effectum fuisset. Quem sua *virtus nobilitaverat*, eum pro meritis Ordinis Leonis Belgici Equitem creavit Rex Augustissimus. Magni hunc honorem et ipse faciebat et, quod in eo laudandum censeo, palam id profitebatur; sed magni etiam hoc faciebant illi, qui, vel in medicis, vel in pharmaceuticis societatibus, eum socium habebant doctum, facilem, omnibus carissimum.

Talem vidimus collegam nostrum, talis nobis, inprimis vero uxori, filiis et filiabus derepente, nihil tale opinantibus, ereptus fuit d. 7 m. Sept. 1855. Equidem Deo Opt. Max. gratias ago, quod mihi datum fuit vobis, collegae coniunctissimi! funus ducentibus praeesse. Adsit ille viduae, adsit liberis!

Ad te me converto, clarissime GOUDOEVERE! Unus tu cum clarissimo SUERMANNO superstes eorum, quos ante hos triginta quinque annos Professores Traiectinos suspiciebam, cum subsellia una cum IANO VAN DER HOEVEN, GUILIELMO VROLIK, IACOBO ADOLPHO CAROLO ROVERS et CONSTANTIO NICATI occupare mihi contigit. Nuper autem tibi, ut ante hoc triennium illi, vacationem muneris tribuit Rex Augustissimus. Diu, precor, concesso tibi otio fruare! Interim vero tibi curae cordique esse pergant

Academiae nostrae commoda et, si iam deinceps non amplius institutis et praeceptis, tamen monitis tuis et exemplo prodesse Academiae nostrae tibi liceat!

Equidem laetor, clarissime ROVERS, quod mihi nunc demum ex augustissimo hoc loco, universae Traiectinae Academiae nomine verba facienti, concessum est tibi gratulari de feliciter suscepta GOUDOEVERI in locum docendi provincia. Iam enim non amplius vel optare vel sperare de te licet fore ut talis futurus sis in Academia nostra, qualem te et Franequerae et Groningae praestitisti; iam experti scimus, tuto tibi tuaeque disciplinae iuventutem nostram quoque instituendam esse traditam. Equidem modo non sine voluptate commemorabam solemnem illum diem, quo ante hos triginta quinque annos praemio ornabamur ambo; quae commemoratio nescio quomodo in me quoque, quippe aequali tuo, excitat alacre illud ingenium, summum illud discendi docendique studium, quod in te, summam tamen rerum humanarum inconstantiam et tristissima fata experto, admiramur omnes. Diu te in Academiae tuorumque utilitatem incolumem et vegetum servet Deus Opt. Max.!

Te quoque hic compellare liceat, vir doctissime VERMEULEN, cui his ipsis diebus cura Bibliothecae nostrae in GOUDOEVERI locum mandata fuit: gravissimum sane munus, quod multiplicem doctrinae copiam, diligentiam summam, animum etiam benevolum requirit erga eos, quorum causa bibliotheca nostra cum maxime constituta est. Te praefecto, Bibliotheca nostra librorum copia et delectu aptaque dispositione, visitantium admirationem movere pergat, maxime vero, te praefecto, Bibliotheca nostra multis, praecipue civibus academicis, utilitatem praebeat! Nam ut facilis promtusque iis ad libros nostros pateat aditus, tua potissimum efficiendum est bénevolentia. Fac itaque, vir doctissime! ut in prosperis Academiae fatis etiam hoc commemorare possint successores mei, te potissimum GOUDOEVERO nostro successorem datum esse!

Sed plura sunt hic commemoranda quae grato erga Deum animo nos afficiant. Quinque et viginti sunt anni, ex quo vos, clarissimi collegae,

HOLTI, ACKERSDYKI, REESI, BERGSMA, VISSCHER, quas in Belgio eo tempore obtinebatis stationes, cum statione Traiectina commutavistis. Gratulamur vobis, quibus ita felicibus esse contigit, ut cathedra vestra transponeretur potius quam tolleretur. Gratulamur patriae et Academiae Traiectinae, quod vos servaverit incolumes, studiorum amore semper flagrantes, vestrisque meritis Academiam nostram illustrantes. Per quinque lustra experti estis, quanti vos faciant cives nostri vestrique discipuli, aetate, muneribus, meritis conspicuos. Favere Academiae nostrae eiusque commodis prodesse etiam deinceps pergite! Collegae vestri, aeque ac vestri discipuli, vos colunt, amant, reverentur!

Quam iuvat de florentissima Academiae nostrae conditione me vobis praesentibus dicere, Curatores Academiae, Viri Amplissimi! Nam vestra cura haec conditio vel confirmatur vel amplificatur. Quare laetamur etiam Academiae causa, quod vos sanos sospitesque hic adesse videmus omnes. Luctus tuus, Amplissime VAN HOYTEMA, etiam nos adflixit. Nam ita profecto nati sumus homines, ut quae privatis nobis accidant, publicam quoque personam adficiant, quaeque publicam personam tangunt a privata non sint aliena. Ita tu quoque in salute liberorum tuorum et prosperitate, non minus quam in felicissima Academiae tuae conditione, solatia digna et quaeras tibi et invenias.

Habet autem Academica illa cura aliquid proprium atque singulare, quum et perpetuo vigilem eam esse oporteat, ubi id minime cernitur, et subinde ad tempus appareat vimque suam et actionem ostendat. Quotusquisque est, qui nesciat, quam anxie, vacante cathedra, conquirendus sit, qui eam in Academiae emolumentum occupaturus sit. Mores, valetudo, doctrina, dicendi docendique methodus sunt attendenda efficiendumque, ut oblatam cathedram acceptare possit, qui evocandus videatur. Itaque non ii sumus, qui hoc vobis vitio vertamus, quod iam per annum vacat literarum orientalium cathedra. Gratiam tamen tibi, BOUMANNE, tibique, GEERI, habemus quam maximam, quod vacante cathedra scholas illas vacare passi non sitis! — Lente igitur in his est festinandum, festinandum tamen, et

efficiendum, ut collegae, quos nominavi, post ferias suis propriisque scholis vacare possint toti. Faxit igitur Deus, Viri Amplissimi! ut quae, hac quoque in parte, in Academiae emolumentum efficere conamini, feliciter et ex voto vobis cedant!

De fatis Academiae dicens, versatus hactenus unice sum in discipulorum praeceptorumque personis. His scilicet, ut mihi quidem videtur, Academia revera continetur. Sed opus illis est Bibliotheca, Horto, Laboratoriis, Museis, Observatorio, Nosocomio, Auditoriis et Senaculis, de quibus prorsus siluisse nefas foret.

Bibliotheca nostra et copiosa est et bene disposita, crescit in dies librorum multitudo partim etiam ex donis, tum aliorum, tum in primis nobilissimarum filiarum Baronis A LYNDEN, cuius amplissimi optimique viri memoriam grata piaque mente semper colemus!

Hortus botanicus laete floret. Privatorum donis permutationibusque cum exteris, maxime vero cum India Orientali, locupletatur. Sed plantae ut crescunt ita intereunt; quare assiduam exigunt diligentemque culturam, quam in Academia nostra egregiam inveniunt.

Museis utimur pluribus, in dies auctis iisque praestantissimis, *anatomico*, *physico*, aliis. *Laboratorium chemicum* norunt etiam ii, qui reliqua Academiae adminicula ignorant.

Observatorium astronomicum iam aliquot abhinc mensibus studiosorum utilitati inservire coepit, et, quamquam nondum omnia instrumenta in eo rite disposita sint, tamen optime iam respondet iis, quae exspectari possunt ab insigni hoc studiorum astronomicorum adminiculo, quod parum abest, quin nobis ab aliis invideatur.

De *Nosocomio* hoc unum moneo, de vetere reficiendo vel de novo condendo serium in modum non tantum Curatores nostros sed etiam Magistratus Traiectinos esse sollicitos.

Sed quid multa? Studiorum adminicula in Academia nostra vel egregia sunt vel longe meliora quam esse existimantur. Quod non vident illi neque intelligunt, qui florentem Academiam non cogitant, nisi quae *aulis* utatur et *auditoriis* et *atriis* sui dignis. Desiderat autem Academia nostra fere

habitationem; utitur hac aula et vicino senaculo: aula, inquam, satis spatiosa; sed hiberno tempore frigida, dicentibus atque audientibus parum apta, senaculo autem, quo Curatorum collegium, Senatus Academicus et quinque facultates suis vicibus utantur; auditoria vero Professoribus fere vel conducenda vel adeo aedificanda sunt. In senaculo tamen, Curatorum cura, quod boni sit ominis, lumen superne admissum est et instauratae doctorum decessorum imagines. Ita nihil a Curatoribus nostris quidem negligitur, quod ad Academicam utilitatem nostrumque commodum conferre posse videatur; sed restant quorum procuratio optanda est!

Superest ut de certaminis eventu, quod studiosae iuventuti ipsius Regis nomine superiori anno fuit propositum ad vos referam, victores proclamem, ipsisque palmam Augustissimi Principis nomine tradam.

Ordo autem *Medicorum*, ordo item *Matheseos et Philosophiae Naturalis* responsa ad quaestiones a se propositas omnino non acceperunt. *Theologorum* ordo accepit duo, de quibus quid iudicet patiamini ut vobiscum communicem.

Theologorum Ordo hanc excutiendam proposuerat quaestionem:

„Ostendatur ex historia, quid CAROLINGICO aevo religionis Christianae „vim moralem in gentes Neo-Europaeas impediverit; quomodo vel sic „tamen haec religio praestantissimam ac beneficam suam indolem satis „superque comprobaverit."

Ad quam quaestionem duae ordini oblatae sunt commentationes, altera his HASII verbis notata:

„Der Herr der Zeit ist Gott, der Zeiten Wendepunct CHRISTUS", altera adscriptum habens hoc symbolum: *post tenebras lux*. — Quum autem nulla posterioris ratio haberi potuerit, quippe quae multo post indictum diem oblata esset, de priore tantum commentatione iudicium tulit Ordo. In qua haud pauca invenisse se probanda ac laudanda, lubens profitetur.

Prodit enim scriptor historiae ecclesiasticae cognitionem haud vulgarem, magnamque in conscribenda sua dissertatione industriam collocavit. At plura tamen reprehendenda ac vituperanda reperit Ordo. Etenim praecipuum quaestionis consilium non bene percepit scriptor, certe non satis accurate

perpendit. Nonnullos fontes, quos consulere et potuerat, et debuerat, plane neglexit. Priorem quidem commentationis partem fusius et plenius, posteriorem vero, eamque graviorem, nec copiose, et minus accurate exposuit. Inter rerum causas et effectus nec rite distinxit, neque nexum hos inter atque illas intercedentem, satis explanavit. Porro singula exemplis, ex historia sumtis, illustrare ac comprobare praetermisit. Latinitas denique prorsus barbara est dicenda. Quae quum ita sint, scriptorem, licet propter industriam suam reique scientiam sit laudandus, praemio tamen ornare non potuit Theologorum Ordo.

Felicior fuit Iurisconsultorum Ordo, cuius de tribus quas accepit commentationibus hoc est iudicium:

Ordo Iurisconsultorum ad quaestionem propositam:

„Qui post Hugonem Grotium in Belgio nostro iuris gentium peritia „insignes fuerint viri docti, ordine chronologico recenseantur, deinde quid „in primariis illius disciplinae partibus singuli praestiterint, exponatur."

Duo accepit responsa, alterum insignitum verbis Roberti Kohl: „Es wird erzählt welche Bearbeiter des Faches aufgetreten sind etc.", alterum Goethii versibus „Damit Ihr doch am Ende seht, das er nichts „sagt, etc."

Quarum commentationum prior adeo alteri antecellere visa est cum luculenta argumenti dispositione, tum vero ingenii acumine et doctrina, ut, quamquam uterque scriptor in tam amplo lateque patente disquisitionis historicae et litterariae campo nonnullorum virorum doctorum, quae negligenda non erant scripta, aut silentio prorsus praeterierit, aut non ea qua par erat, diligentia pertractaverit, in his cum Graswinckelii et Petri de la Court, tum Noestii et Vitringae opera, vernaculo sermone edita, vel sic tamen Ordo propter eximia prioris commentationis in primariis iuris gentium locis illustrandis merita, eam aureo praemio dignam existimaverit; — alterius vero responsionis scriptorem, qui non eam, quam postulabat quaestio, ordinis chronologici rationem habuit, in ipsis vero disciplinae partibus tractandis operam collocavit minime contemnendam, honorifica commemoratione defraudare noluit.

Aperta scedula, priori commentationi addita, nomen exiit Didérici

van Hogendorp, Phil. Theor. Litt. Hum. et Iur. Rom. et Hod. in Academia Lugduno-Batava Cand., qui, instituto ex lege examine, commentationis auctorem se abunde probavit. Alterius commentationis scriptorem prodidit se Ioh. Iac. Schneither, in Acad. Groningana Iur. Cand.

Ad quaestionem, qua rogatur "Fideicommissorum in Patria historia," unam tantum Ordo Iurisconsultorum accepit commentationem hoc lemmate insignitam: "les substitutions sont prohibées." Est illa ita conscripta ut tum studiorum diligentiam tum iuris etiam civilis doctrinam probaverit scriptor. Fontes maxime iuris patrii antiqui, qui ad hunc iuris locum spectant, cognoscere studuit, quaestiones complures huc pertinentes tractavit; sed, pro *historia* fideicommissorum, dogmaticam elaboravit huius loci explicationem. Desideratur itaque, quae vel in primis quaesita fuit, explicatio rationis, qua in diversis patriae nostrae regionibus fideicommissa in usum primum inducta, latius deinde propagata, mox circumscripta aut sublata fuerint; in quo quidem argumento indagandum fuisset, quam vim in hunc iuris Romani locum cum usus fori, tum doctorum virorum opera temporis decursu habuerint. Quam ob rem aureo quidem praemio scriptorem condecorare non potuit, laudandam tamen eius non vulgarem diligentiam esse arbitratus est, eamque publica testificatione declarandam.

Itaque palam eo evocato, ac resignata scedula, scriptorem esse apparuit Bernardum Dorhout Mees, e pago Garmerwolde-Groninganum, Iuris in Acad. Trai. Cand., cui itaque dictum testimonium honorificum erit exhibendum.

Itaque tu, Dideric van Hogendorp, Iuvenis Ornatissime! in hunc suggestum, quaeso, adscendas!

En aureum praemium, quod victori tibi, ipsius Regis Augustissimi, Guilielmi III, nomine, traditurus sum. Egregie tu partes tuas egisti! Et Leidensis Academiae antiquam famam, et avitum gentis tuae nomen strenue tuitus es. Macte virtute tua! Sint sane quos paternum illud avitumque decus oneret magis quam ornet. Tu generis nobilitatem egregie sustinuisti! Fac ita pergas, nobilissime idemque ornatissime van Hogendorp! Iam enim non tantum erga avum tuum, virum celeberrimum, et erga patrem, virum egregium, puero tibi ereptum, sed erga te quoque ipse obligationem novam quasi contraxisti, talem te praestiturum, qualis

nunc futurus videris. Itaque aureum hunc nummum, optimi Regis nomine, tibi equidem trado, ut praemium obligationis adimpletae, tu vero illud accipias, ut arrham obligationis novae erga literas, erga patriam, erga Regem ipsum contractae!

Vos quoque accedite, Iane Iacobe Schneither et Bernarde Dorhout Mees! Non ita felicibus esse vobis contigit ut aureum e certamine praemium reportaretis. Sed est aliquid in magnis voluisse. Tentastis quod alii ausi non sunt nec disceditis ex hoc certamine, nisi ita laudati, ut *Groningaman* et *Traiectinam* famam egregie tuiti esse videamini. Accipite haec reportatae laudis testimonia et facite ut his, vel maioribus etiam, dignos vos semper praestetis in vestrum et in patriae emolumentum.

Superest ut de quaestione Philosophica dicam.

Ordo Philosophiae Theoreticae et Litterarum Humaniorum hanc quaestionem studiosae iuventuti proposuit:

„Exponatur, quid ad diiudicandam celeberrimam de animi existentia „quaestionem hac nostra aetate Anthropologia attulerit."

Unam accepit commentationem, poetae nostri Helmers verbis insignitam: „Het pogen zelfs is grootsch in 't worstelperk der eer."

Neerlandico sermone lucide et eleganter composita pluribus nominibus haec scriptio Ordini se commendavit. Argumenta tam eorum qui animum esse negant, quam eorum qui animum a corpore seiungunt, clare exponuntur et ex aequo iudicantur, rerum magis quam temporum ratione habita, ita ut non singulorum scriptorum opiniones enumerentur, sed ad diversa probationis genera attendatur. Haec dispositio, ceteroquin laudanda, causa fuisse videtur, quare scriptor, Germanorum disputationes praecipue explicans, philosophos et physiologos in Francia, Anglia et Scotia omittendos duxerit. In describenda litigantium causa veri studio, a praesumtis opinionibus libero, ductus est, et omnium fere argumentorum, quae ultro citroque afferuntur, curam habuit, licet eorum nonnulla tetigerit potius quam ab omni parte consideraverit. In diiudicandis probationibus acri iudicio usus est; maiori autem laude dignus fuisset, si copiosius de quaestione dixisset; ac, quid corpus, quid animum intelligant philosophi,

accurate definivisset, difficillimas etiam de animo quaestiones tractasset; quales sunt, num argumenta, quibus animus esse demonstratur, ad omnia animalia pertineant, ut haec etiam immortalia habenda sint; num animus una cum corpore gignatur an vero increscente demum corpore nascatur; quamnam vim in omnem hanc rem habuerit religio Christiana; num ex placito de corporum resurrectione effici queat, ne religionem quidem animum a corpore divulsisse. Sed a iuvene, cui breve temporis spatium concessum erat, nimis expostulare noluit Ordo. Laudavit diligentiam et industriam, quae multa in commentatione comparet, mentis subtilitatem, veri reperiendi studium, ingenium, etiam animum, ad quem nihil humani non pertinet, ac scriptionem dignam iudicavit, quae aureo praemio ornaretur.

Aperta autem scedula commentationis scriptor apparuit GISBERTUS HENRICUS LAMERS, qui in hac Academia ad Theologiae studia se contulit.

Accedas, ornatissime GISBERTE HENRICE LAMERS! Alterum quod mihi tribuendum datum est praemium, equidem non minus libenter tibi, civi nostro, trado quam alterum HOGENDORPIO, Leidensi. Tua scilicet unius diligentia effectum est, ne cedere Traiectina Academia Leidensi videatur neque Theologis omne praemium deesset! De gravissima quaestione docte pariter et eleganter disseruisti et ita quidem, ut VINKII, praeceptoris tui, sententiam probare visus sis: *germanum philosophum optimum esse theologum.* Ita fac pergas! Bonas Litteras atque Philosophiam cum Theologiae studio ita deinceps quoque iungas ut alteram disciplinam ex altera illustres. Ita Litteris atque Philosophiae, ita Theologiae etiam, per te suus in patria nostra stet honos!

Superest ut Rectoris Magnifici munus tandem aliquando deponam ac successori designato tradam.

Itaque te, LUDOVICE GERARDE VISSCHER! ex Regis Augustissimi decreto in proximum annum *Rectorem Magnificum* dico, renuntio, proclamo.

Accedas itaque, Vir Clarissime, et locum occupa, quem tibi feci vacuum.

Salve, Rector Magnifice, iterumque salve! Fasces tibi cedo et sigillum: magistratus ornamenta, magistratus etiam onera!

Per quinque lustra Academiam nostram cognovisti, neque ignoras, quid ei prodesse, quid ei nocere possit; quidni igitur de tuo magistratu bene augurari liceat in hoc praesertim florentissimo Academiae nostrae statu? Equidem ut amplificentur res nostrae optare vix ausim, ut salvae sint, te Rectore, opto atque confido.

Tu vero, Deus Opt. Max.! qui me gravissimum munus suscipientem, gerentem, deponentem servasti, Tu successori meo, tu Curatoribus, collegis, civibus, Academiae propitius adsis! Tibi in omne aevum sit laus, honos et gloria!

ACTA IN SENATU

A°. 1855—1856.

RECTORE IACOBO VAN HALL.
GRAPHIARIO HENRICO EGBERTO VINKE.

Die 26 m. Martii. Rector Magnificus HENRICUS EGBERTUS VINKE a Senatu Amplissimo in cathedram ductus, habita Oratione *de vera fidei Christianae notione, nostris praesertim temporibus memoria tenenda et in omnium animis imprimenda*, enarratisque Academiae fatis et lecto Programmate certaminis literarii, a Rectore et Senatu indicto, datum sibi successorem proclamat et salutat Virum Clar. IACOBUM VAN HALL.

Senatus Graphiarius lectus est Vir Clar. H. E. VINKE.

Die 2 m. Iulii. Rector cum Senatu communicat, Virum Clar. A. VAN GOUDOEVER, in Fac. Phil. Theor. et Lit. Hum. Professorem Ordinarium, propter aetatem septuagenariam ex Decreto Regio rude donatum esse.

Rector nomine Senatus gratias agit Viris Clar. BOUMAN et DE GEER, quod, vacante Literarum Orientalium cathedra, has Literas docendi munus in se susceperunt, ille tradendis Literaturae *Arabicae* atque universe *Orientalis* initiis, hic explicandis Literis et Antiquitatibus Hebraicis.

Die 8 m. Septembris. Senatus luget obitum Viri Clar. P. I. I. DE FREMERY, in Fac. Math. et Phil. Nat. Professoris Extraordinarii.

Die 7 m. Decembris. Vir Clar. IACOBUS ADOLPHUS CAROLUS ROVERS, Phil. Theor. Magister Lit. Hum. et Iuris Rom. et Hod. Doctor earundemque Literarum in Academia Groningana Professor Ordinarius, Decreto Regio diei 4 m. Augusti ad munus hocce in Academia Rheno-Traiectina obeundum vocatus, id ipsum auspicatus est habita Oratione *de Historiologia aetati nostrae plurimi facienda.*

Die 25 m. Februarii. Designantur quatuor viri, e quibus a Rege Augustissimo Rector in proximum annum eligatur,

Ex Ordine	Phil. Theor. et Lit. Hum.	L. G. VISSCHER.
〃	Medico	L. C. VAN GOUDOEVER.
〃	Matheseos et Phil. Nat.	P. HARTING.
〃	Theologico	B. TER HAAR.

Designantur etiam quatuor viri, e quibus Senatus Academici Graphiarius eligatur,

Ex Ordine	Iuridico	I. VAN HALL.
〃	Phil. Theor. et Lit. Hum.	I. A. C. ROVERS.
〃	Math. et Phil. Nat.	C. H. D. BUYS BALLOT.
〃	Theologico	B. TER HAAR.

Assessores constituuntur,

Ex Ordine	Medico	I. L. C. SCHROEDER V. D. KOLK.
〃	Math. et Phil. Nat.	G. I. MULDER.
〃	Theologico	H. BOUMAN.
〃	Iuridico	A. C. HOLTIUS.

IACOBI ADOLPHI CAROLI ROVERS

ORATIO

DE

HISTORIOLOGIA AETATI NOSTRAE PLURIMI FACIENDA,

PRONUNCIATA

A. D. VII M. DECEMBRIS A. MDCCCLV,

QUUM IN ACADEMIA RHENO-TRAIECTINA LITERARUM HUMANIORUM PROFESSIONEM SUSCIPERET.

ACADEMIAE RHENO-TRAIECTINAE CURATOR, VIR AMPLISSIME,

ET QUI CURATORUM COLLEGIO AB ACTIS ES, VIR CONSULTISSIME.

ACADEMIAE RECTOR MAGNIFICE.

VARIARUM DOCTRINARUM PROFESSORES, VIRI CLARISSIMI.

IUVENES LECTISSIMI, HUIUS ACADEMIAE CIVES EXOPTATISSIMI.

CUIUSCUMQUE ORDINIS ET LOCI AUDITORES HUMANISSIMI.

Annus est, quum Groningae, magistratum Academicum deponens, verba feci *de aetate nostra Historiologiae fautrice*. Orsus a Critica, quae indagandi libertate viget et novam materiam anquirit, ut maior doctrinae fundamentis firmitas accedat, insignem adumbravi aetatis nostrae ardorem in his ipsis cognoscendis, firmandis et amplificandis. Hinc progressus ad ea, quae fundamentis illis superstruuntur, ipsam Historiologiam attigi et ei quoque haec tempora apposui, in variis, quibus conspicua sunt, studiis gravissimae doctrinae secunda. Ne autem acutissimi illi viri praetermissi esse viderentur, quibus tantum tribuimus ut difficile interdum sit eorum opiniones ab ipsius aetatis sententia accuratissime distinguere, in extrema Oratione, de nostra tum rerum futurarum tum consiliorum divinorum scientia quid censerem, candide et modeste significavi. Iam vero si quis vestrum hanc Orationem legit, non dubito, quin et alia requirat multa et vero illud improbet, non ea in luce poni Historiologiae gravitatem, ut perspicue appareat, dignissimam eam esse, cui faveatur. Esto enim aetas nostra ei secunda, sed eadem, inquiunt, nondum abhorret a futilibus; quid distent aera lupinis, nondum omni in re agnovit; fieri igitur potest, ut aliam

doctrinam tam nullo iure colat et foveat, quam temere negligit et spernit aliam. — Severum sane iudicium, cui tamen, quum nunc non ultra ea adscendatur, quae sunt *δυνατὰ*, hanc opponere licet nonnullorum vocem: fieri potest, ut haec aetas sive perspiciat sive sentiat, *opus sibi esse* iusta rerum gestarum intelligentia; hinc ardorem illum ducimus impedimentorum, quae huic officiunt, tollendorum. — Equidem, A. A., utrum sit verius, nunc non quaero, quamquam scio, quo inclinem. Sed, quod de Historiologiae in illa Oratione loco dixi, id pace vestra haud mittam. Iuvat enim inde dicendi argumentum petere, quod eadem qua superius necessitudine et cum temporibus nostris et cum historiae studio cohaeret omninoque eiusmodi est, ut alterum non inepte alterius *ἀντίστροφον* vocetur. Nam sicut antea aetatis nostrae erga Historiologiam favorem exponere conatus sum, ita nunc doctrinam contemplabor non tantum dignam hoc favore, sed aequalibus nostris se omni nomine commendantem. Dicam enim de

Historiologia aetati nostrae plurimi facienda.

Vos autem, A. A., ut vestra me benevolentia prosequamini, etiam atque etiam rogo. Quo plures Orationes pronunciavi — haec autem quinta est — eo certius mihi constat, quantum sit in audientium humanitate praesidium. Nam usu cognovi, facilius citiusque oratorem argumento quam hoc illi deesse. Sed veniamus in rem praesentem.

Ea sunt tempora nostra, ut vegetae aetatis hominibus, quoties iuventutem suam mente repetunt vel ipsos adeo annos ab hodierno die minus remotos, hanc saepe exprimant vocem: *quantum mutata ab illis.* Multi eorum, qui haec loquuntur, vitae commoda et delicias urgent, quibus domi atque foris, rusticantes et peregrinantes, fruimur, quorum communionem plures ardentissimis votis expetunt, quaeque tanti fieri dicuntur, ut, quemadmodum Graeci hominis vita ludus fuisse perhibetur, sic nos prope natos esse credas ad fruendum. Aliis, eiusdem commutationis magnitudinem et celeritatem praedicantibus, animo obversatur rerum publicarum conversio; memorant iura civium aucta, et facultatem altius evolandi pristinis impedimentis liberatam, et partes civitatis regendae pluribus concessas, et arcana nullorum non magistratuum evulgata omniumque iudicio submissa. Sunt,

quibus doctrinarum fata in mentem veniant, his prospera, adversa illis, adeo ut paucae summa omnium gratia floreant et paene divino honore afficiantur, aliae exiguo loco sint, quin cum contemtu quodam ipsarum cultoribus relinquantur. Reperias etiam, qui illud de his temporibus iudicium Ecclesiae conditione probent, in qua nec ruinas excelsi aedificii praetermittunt nec instaurandi diligentiam. Quid plura? Illud *quantum mutata ab illis* sexcenties pronunciari audias, estque hoc nullius non conditionis hominibus in ore. Pronunciant autem ea verba suo quisque modo eoque vultu, ex quo, quid intus agatur, continuo appareat, aut spe pleni fore ut ad auream aetatem velis passis propellamur, aut metuentes ne ab eadem in dies longius abducantur miseri mortales. Quodsi hac vultus animique hilaritate et tristitia res confecta esset, eam profecto in hoc gravissimorum virorum coetu non memorassem. Sed complures eorum, quibus aequalium salus vita sua carior est, manus operi admovent. Utrimque paratur, festinatur, concurritur vario telorum genere, ut praesentia melioribus cedant: ab altera parte ea cernitur alacritas, cuius temeritati interdum metus est ne quid accidat, ab altera vero nulla formido est armorum, quibus ex diuturna custodia sancti quid inesse perhibetur, utrique vitia sunt non tantum virtutibus vicina, sed etiam ea, quae civitatum saluti parum prosint. In hoc certamine nullarum partium esse non licet. Agitur causa tum nostra tum eorum, qui nos excipient. Nam praesens aetas parturit futuram. Itaque nos, A. A., a qua parte stamus? Vel, si in utraque est, quod displiceat, ecquid ipsi potissimum probamus? Utrum *redeundum* nobis ad meliora, an vero *tendendum* esse ad meliora censemus; utrum *respiciendum* in ea, quae a tergo sunt, an vero, his missis, in ea *prospiciendum* arbitramur, quae sunt a fronte? Num aetatem nostram penitus cognovimus? Hanc quaestionem si quis ineptam vocat, equidem non assentior. Nam quod Plato iam contendit et historia probavit, ex democratia in tyrannidem vergere rem publicam, hoc quotusquisque suspicatus est in Francia iterum confirmatum iri? Et, ut splendidis utar exemplis, Niebuhrius non solum tempora priori rerum in Francia conversioni similia reditura negavit, sed etiam plura secula exigi posse statuit, quibus Europa nulla conversione agitaretur. Hegelio autem aetas sua eam referre visa est humanitatis formam, qua maius quidquam illa consequi non posset. Hinc

anno huius seculi tricesimo mensis Iulius res attulit utrique satis molestas [1]. Ante hos tres annos Societas, quae *a pace tuenda* nomen habet, magna in spe erat fore, ut bellorum nisi causa, certe opportunitates tollerentur. Plauserunt multi, quorum tamen acutissimus quisque laetus praedicabat, nervos belli defuturos esse. Sed non defuerunt illi. Paucorum astutiae et ambitioni cessit verba dare ceteris, et patriae, honoris, libertatis religionisque nomine copiae in aciem ductae sunt, et, quum innumerorum militum sanguine madebat terra, placuit gratiis Deo pro victoria agendis illud spectaculum edere, cuius ineptias in disputatione de absurdis multorum precibus graviter perstrinxit Fr. Hemsterhusius [2]. His exemplis monitus, iterum quaero de nostra horum temporum scientia, et vero hanc addo quaestionem: si praesens aetas intelligentibus nulloque partium studio obcaecatis iudicibus aliquantum boni seminis continere videtur, nihilne propterea turgescit in agris et iam pullulat, quod fructus feret acerbos et noxios? velut in praeclaro studio libertatis satisne ipsius libertatis modestia attenditur et pudor et ad virtutem indoles, quae minimam adeo iniuriam passa, extemplo cultores destituit? eademne officiorum quae iurium vindicandorum religio est? nusquam haec propria, illa aliena bona esse videntur? utrum prius potiusque est, hominem esse an munus in civitate obire? opibus et auctoritate florere an sic omni nomine cultum esse, ut utrisque sis dignus? ingenio excellere, quod non tuetur a sordibus consectandis, an animi robore firmatum praestantiam ingenii ad summa quaeque consequenda referre? aquilae volatus altitudinem suspicere an eiusdem, ventis secundis, constantiam et tranquillitatem? Nolo haec dirimere, sed sic statuo, quo plus fervoris et agitationis sit, quoque acrius contendi videatur ad novum aliquod stadium ingrediendum, eo maiore ope nitendum esse, ut sapientia seculorum nutriamur. Verum huius sententiae causas meae me afferre iubet Orationis argumentum. Nam in ipsam Historiologiam incidi, quam huic aetati summo loco habendam esse arbitror.

---

[1]) *Röm. Gesch.* nach Nieb. *Vortr.* bearb. von Schmitz, aus dem Engl. von Zeiss, III, 423, et Michelet in censura operis doct. von Cieszkowski, quae exstat in *Jahrb. für wissenschaftliche Kritik*, Nov. 1838, p. 794 seq.

[2]) *Lettre sur l'homme et ses rapports*, I, 213. ed. Par.

Ante tamen quam huc pergo, duplici mihi opus est cautione: alterâ, ne quis putet, me doctrinam commendaturum esse ab utilitate, quam insignium in utramque partem exemplorum cognitio affert. Quamquam enim efficacem illam his exemplis esse ad studium virtutis dubio caret, ipsaque apte i. e. loco et tempore allata generosam indolem aut saluberrimo dolore pungunt aut mirum in modum incendunt, hîc tamen minus MILTIADIS tropaeum curo, quod THEMISTOCLEM dormire non sivit, quam eam cogito huius doctrinae ubertatem, qua, principis tragicorum Graecorum instar, quum tacet de virtute, clamat. Altera cautio haec est: si quis probat huius utilitatis rationem non haberi, improbat autem omnem utilitatis speciem, quippe qua doctrinae non propter se colantur, sciat velim, mihi quidem doctrinas non ancillarum loco esse, sed, quemadmodum olim praeclari Botanici verbis expressi, videri eas honorem postulare plane regium, ut *se ipsae* praebeant generis humani ministras. Hos scopulos praetervectus, reliquum prospicio Orationis cursum; quem quum celeriter confici cupiatis, videndum est, ne singulis locis adeundis commorari in celebrioribus haud liceat. Itaque multa praeteriens, statim illuc tendo, quo prudentissimi viri saepe oculos convertunt.

Intelligo singularem et paene omnium hac aetate communem rerum publicarum curam, porro quaestionem de generis humani progressione, denique viam et praesidia rite, i. e. natura humana digne, progrediendi. In singulis quodnam sit Historiologiae momentum, indicare conabor.

Ac primum quidem ingentem cogito eorum numerum, qui se rebus publicis immiscent. Prae his, causarum patroni omnino pauci sunt. Ecquis enim civium ordo suis non gloriatur politicis viris, qui vel rem publicam capessere gestiunt vel suâ ei praesto esse prudentiâ. Non Athenis ARISTOPHANIS aetate flagrantius studium fuit gravissimas civitatis res procurandi. Romae illud ante GRACCHOS aliquanto moderatius fuit, cuius quippe cives minus alacres, etsi probaverant clades a Tribunis Pl. Senatui illatas, Senatum tamen rerum gerendarum peritia ceteris praestare iudicabant. Nunc autem temporum fervor et agitatio hanc vim habet, ut religiosissimi homines suum esse putent civitati quovis modo prodesse. Neque subito et caeco impetu huc abripiuntur; plurimi certe eo accedunt perpensis novo-

16

rum officiorum momentis comparatisque argumenti politici scriptionibus, quibus adduntur Ephemerides et Actorum, quae singulis mensibus in lucem prodeunt, exquisita copia, adeo ut ne SOCRATES quidem ὁ ἀστεῖος haberet, quod in eorum sicut olim in GLAUCONIS ardore reprehenderet. Ab his alii in simili proposito differunt studiorum genere et ratione, quorum quidem illud plura complectitur, haec ingeniosior est et ad loca ducit „nullius ante trita solo"; ubi tamen, testibus iis, qui pulso LUDOVICO PHILIPPO primas in Francia egerunt, facile est pedem offendere — Itaque ne adeantur illa loca; haud scio an res publica hinc nihil quidquam damni captura sit. — Sed „iuvat, aiunt, integros accedere fonteis." — Verum a praestantissimis inque doctrina politica perfectis viris accepi, fontes huius doctrinae ibi frustra quaeri, esse hos admodum vicinos eosdemque omnino, ad quos adeundos adolescentibus in scholis historicis via monstretur. Haec, si quid video, urgent rerum gestarum scientiam et naturalem, quae hac nititur, ad earundem intelligentiam progressionem, ut hinc, adhibita iam porro doctrinae politicae luce, certum petatur de rebus publicis iudicium. Scio, quid tacite quidque diserte obiiciatur. Nam in pectore clausum illud est: apage viam longam, unicuique patentem carentemque illis inveniendi deliciis, quibus in aviis peragrandis pascuntur divina ingenia. — Profecto si inveniendi splendor mentis aciem perstrinxit potius quam acuit eam veri videndi cupiditas, et vero si quis intra triduum se politicum fieri cupit, commendare ei hanc viam nolo. — In lingua autem promptum hoc est: quid praedicas historiae gravitatem? Hinc tamquam ex armamentario sua quisque tela petit: haec opitulatur monarchicae regiminis formae addictis nec destituit democratiae fautores: huius tanta est lenitas tantumque in omnes obsequium, ut BRUTUM illum priorem tam aristocraticae factionis principem salutari sinat quam coli a furibundis demagogis, ut nihil impediat, quo minus GRACCHI et bonorum gratia floreant et exemplo sint iis, quibus ima summis mutare placet. — Quot verba tot errores. Hominum ignorantia et partium studium, quod transversos agit mortales, vitio vertuntur doctrinae, quae, si generosissimam scientiae sitim nondum omnino explet, in dies tamen magis satisfacere discendi cupidis conatur. Nihil dicam, A. A., de summa virium intentione ad ea, quae tenebris circumfusa sunt, in lucem evocandis. Laudavi illam in Oratione Gronin-

gana; sed, ne in refutandis ineptiis eam silentio praetermittam doctrinae partem, quae mihi in hac Academia tradenda mandatur, conferte, quaeso, praesens et pristinum res Romanas explorandi consilium. A quo tempore, instauratis in Italia literis antiquis, vehemens illa exstitit veteris elegantiae admiratio, non fugit praestantissimos viros, ad horum scriptorum intelligentiam ritus teneri oportere et instituta Romana, quorum frequens apud illos mentio exstat. Sic formae admirationi paullatim accessit rerum, quas dicunt, investigatio, eaque ipsa, SIGONII, PANVINII, MANUTII aliorumque eruditione fota, eo deinde spectavit, ut, quaecumque Romanorum publice et privatim, in bello et in pace, propria fuerunt, suis quaeque locis disposita, mente comprehenderentur. Haec profuerunt multis tum ad scriptorum historiaeque Romanae explicationem tum ad Iurisprudentiae studium. Neque tamen posteris visa sunt sufficere. Nam dubitandi salubritas, Criticae audacis et severae vigore parta, multorum auctoritatem labefactavit, et de vinculo variarum partium inter se quaestio orta est et, quomodo singula ex populi indole vel temporum rerumque momentis effloruerint, in disceptationem venit. Vultisne exempla? Antiquissimi Equites haud confundebantur cum Equitibus posterioris aetatis; contra discrimen notari solebat inter eos, qui olim equo meruerunt, et Equites iudiciorum atque Publicanos. Nunc autem in ipso discrimine non acquiescitur; causas eius a principio explicare placuit omninoque, historia duce, indagare, quaenam tum Romae tum in Provinciis diutissime gesta valuerint ad Equites, Senatus adversus populum fautores, a Senatu sensim abalienandos conciliandosque consiliis GRACCHORUM. Iuris peritia aliquando penes solos patricios fuit. Quis eos in tuta tranquillaque possessione se iactantes nihilque mali suspicatos derepente conterruit audaciâ suâ plebi gratâ? FLAVIUS ille, quem legum actiones et fastos evulgasse ferunt? Non amplius APPII scriba primas in hac quaestione agit et, quantum detractum de eius auctoritate, tantum collatum est in temporum plebeiis secundorum progressionem. Pariter temporum commutatio et efficax apud Romanos consuetudinis vis meliora nos docuerunt de origine quaestionum perpetuarum quam auctus criminum numerus, in quo quum posita omnia esse viderentur, intelligi vix poterat ratio inquirendi in crimina, quae cum populi iudiciis, ductis illis e XII. Tabularum legibus, omnino pugnabat. Eadem investigationis

diligentia in partibus civitatis regendae et administrandae, in argumentis oeconomiae politicae, in re adeo militari. Sic mens agitat molem. Et hac diligentia quid spectatur? ut omnia, quae apud veteres exstant, ne calceis quidem vel annulis exceptis, sicut digitos nostros cognoscamus? nihil minus; igitur ut maiorem cum scriptoribus antiquis familiaritatem contrahamus? ne id quidem, nisi forte vim et effectum consilii nomine insignire placet. Consilium autem illud est, ut mentis oculo ipsam nobis cernere contingat Romanorum vitam. Hoc GUILIELMO BECKERO tum quoque menti obversatum est, quum librum scripsit spissum et operosum de Urbis Romae *Topographia*. Scilicet persuasissimum ipsi fuit, sine cognitione locorum, quae vitam illam aluissent, neminem illud ultimum atque extremum consequi posse, quo referri omnia oporteret. Huc Historiologia facem praefert in rebus Romanorum explorandis. Itaque in ceteris sive antiquae sive recentioris historiae partibus alio praeferre nequit. Testis igitur ipsa non modo temporum sed etiam vitae gentium et lux veritatis esse cupit. Hinc consequens est, ut, quum ex diligente illius vitae contemplatione plurimum proficiatur ad ipsius naturae humanae perspicientiam, Historiologiâ eos potissimum imbutos velimus, qui in solem atque in pulverem rei publicae procedunt. Haec enim, ut ille ait, non ex ligno saxove constat, neque machinae instar extrinsecus movetur, sed ex hominum, ex quibus constat, studiis affectibusque admodum variis motum suscipit, quorum quidem multiplices formas et necessitudinem atque vim mutuam ignorare, vel cognitas negligere, valde periculosum est. Inde nulla non opinionum commenta, a quibus multi crepant summam exspectandam esse salutem gentium, ipsi scilicet salutem allaturi, quae aut nitetur ruderibus civitatum aut nulla fulcietur fundamentorum firmitate. Ceterum, quo plures sibi ad omnia summa *nati* esse videntur, eo vehementius urgendum censeo, *doctrina* vim promoveri insitam, eoque enixius et benevolentius rogandi ipsi sunt, ne, splendidissimis de patria tuenda consiliis abrepti, „tamquam in aedificanda domo initium faciant a tecto et apice, de fundamentis et parietibus non cogitantes."

Pergo ad quaestionem de generis humani progressione. Incidunt nonnumquam tempora, quibus haec quaestio paucos tenere videtur. Quum

ea vivitur aetate, quae a superiore vix discrepat neque ipsa quidquam continet, quo in aliquam partem agitetur, deest si non causa, certe opportunitas exigendi praesentia ad praeterita. Sed si a pristina cogitandi agendique ratione deflectitur inclinatque ad commutationem aetas, tum in dissonis clamoribus eorum, qui aut impellunt et incitant aut receptui signum dant, multi locum anquirunt, in quo a calcaribus aeque atque a frenis tuti consistant ipsique videant, quorsum omnia spectent, quid sui iudicii viros sequi oporteat. Tum rerum gestarum memoria in primis efficax censetur ad praesentem aetatem cognoscendam. Comparando investigatur, quid et ubi simus, utrum bene sperare liceat de temporibus, quae instant, an contra illud partim ratum sit, partim immineat,

Aetas parentum, peior avis, tulit
Nos nequiores, mox daturos
Progeniem vitiosiorem.

Quo fines comparationis proferantur, pendet saepius e seculo, ad quod, quippe aureum, reditus exoptatur, unde hodie recedi a nonnullis solet in aevum, quod dicitur, medium, limpidum, ut aiunt, bonorum omnium fontem.

Equidem, A. A., quamquam de hoc comparandi studio nihil detractum volo, dubito tamen, num hac ope ex incertis certi dimittamur, ut ne res temere tractemus turbidas. Nam afferuntur fere res singulae, quae, a suis divulsae temporibus ipsiusque vitae luce non amplius collustratae, facile in errorem ducunt. Fragmenta sunt, quibus nullo negotio contraria fragmenta opponuntur. Velut priscam frugalitatem et parsimoniam celebrantibus certissima ex eodem tempore obiiciuntur vestigia ruris: reverentiâ magistratuum et maiorum natu ne altera lanx vergat, eorundem superbiam et contumaciam in altera ponunt: plebeiorum hominum ignorantia non minus citatur quam ipsorum in sua sorte acquiescentium modestia: de pietate erga Deum quoties sermo est, toties in ore est religio vinculis adstricta, ad formulas praescriptas quasi ad saxum adhaerescens, neque in illa libertate radices agens, cuius summam praestantiam CHRISTUS suo ipse exemplo probavit. Accedit quod non desunt, qui hac comparandi ratione nihil magnopere effici arbitrentur, nisi verti omnia in orbem, certe inde apparere putent, rerum formas potius quam res ipsas mutari. Deni-

que mihi in hac causa displicet negligentia antiquitatis. Quod quum dico, A. A., vereor, ne nonnulli subrideant statuentes, antiquitatem ad nos nihil pertinere. Sed hoc leniter fero; quin aliquid speculae est, ut iidem vel arrideant mihi vel progredi me aequo animo sinant, quamprimum haec acceperint: equidem antiquitate admodum delector, multos scriptores Graecos et Latinos magni facio, verum longe abest ut omnia admirer et colam, quae veteres dixerunt feceruntve, et, si quis putat, mihi aetatem nostram eo feliciorem visum iri, quo magis se ipsa componere conetur ad florentissima veterum tempora, truncum me et stipitem habeat necesse est, qui velim *τὰ ἀδύνατα*. Sed hîc aetatis nostrae causâ agitur de generis humani progressione. Nolumus nullis non opinionibus, quas exemplorum temere allatorum diversitas commendat, tamquam fluctibus quassari. Nauseam creant clamores ab alterius utrius fortunae fiducia profecti. Ad certam normam iudicium dirigere placet. Praesto est Historiologia. Haec notis quibusdam distingui inque varias partes distribui potest, quo nostrae studiosorum imbecillitati succurratur; sed ipsa una est, omnium seculorum gentes, eiusdem naturae socias, arcto vinculo complectens, minimeque se divelli sinit in gravissimis de genere humano quaestionibus. Ad eam exigendum est illud, quod haec aetas quaerit. Nostra intueri interest ipsius naturae sortisque humanae imaginem, in gentium vita expressam.

Ordimur ab Oriente, ubi sunt incunabula nostra. Hinc delatos in Europam omnium maxime advertunt Graeci et Romani. Alia cernuntur multa. Non sacra eadem, non civilia instituta, non vita domestica, non ingenii excolendi praesidia et opportunitates. Hoc discrimen animadvertisse parum est. Indolem discriminis sic perspici oportet, ut manifesto appareat, num mentis vires, homini inditae, sese paullatim exserant et ad maiora tendant. In viam et alia ducunt et vero haec. Oriens sedes est monarchiarum, quas absolutas vocant, eaque regiminis forma, e patriarchica ratione orta, polygamiâ omnique vitae domesticae conditione firmatur, Graecia et Italia monogamiam probant et cives eo libertatis sensu ducuntur, cui in Rebuspublicis suis satisfacere student: illic auctoritas sacerdotum tanta, quanta ubivis fere ceteris nocet ad ingenii cultum, hîc gravissimum ingenii excolendi impedimentum una cum ordinibus a se invicem

separatis deest et, ut philosophorum in Graecia, sic Romae iurisconsultorum insignis oritur existimatio: apud Orientales arctissima necessitudo familiae et tribus cuiusque finibus continetur, apud Graecos et Romanos eadem hos fines egressa, ipsam complectitur civitatem: illis grandia et magnifica placent, Graeci amore pulchri praestant, cuius vim nativam Romani, ad agendum aptiores quam ad inveniendum, nulla arte assequuntur, sed hi tum ea, quae Graecorum consuetudini accepta referunt, tum vero quaecumque digna censent, in quibus ipsi elaborent, latius etiam quam illi sua post ALEXANDRUM Macedonem dispergunt et magnam orbis terrarum partem communi vinculo coniungunt. Omnium antiquitatis populorum communis est servitus. Bello capti, ex ancillis nati emtique res sunt, quarum domini si non semper potestate abutuntur sive lenioris ipsi indolis sive vernis suis vel utilissimo cuique servo parcentes, parum curo, sed, ut instituta Mosaica praetermittam, cogito Atheniensium leges servis non uno modo prospicientes et vero sollennem apud Romanos servorum manumissionem, qua illi in ipsum adeo civium numerum recipiuntur, et Praetorem cogito, custodem aequitatis, illam tuentem libertatem, quae facto domini, non vero iure nititur, et limites volo, quibus ea ipsa potestas sub Imperatoribus circumscribitur. Haec utrum nomine tantum differunt et eiusdem conditionis formae sunt variae, an vero indicia sunt multiplicis per seculorum cursum ad meliorem conditionem progressionis? Hanc multum a perfectione abesse, quis negat? Ubi cultissimae gentes peregrinos omnes despiciunt et in civitatibus suis multos inferiore loco positos negligunt et religionem parum referunt ad virtutis amorem in animo suscitandum et alendum, ibi sane multum est, quod improbes, multumque deest, in quo civitatum robur positum esse constat. Haec autem vitia non fugerunt doctissimum Patrum, CLEMENTEM Alexandrinum, qui tamen, philosophia, inquit, sic Graecos, ut lex Hebraeos, instituendo ad CHRISTUM duxit [1]). Et memorabilis est illorum Imperatoris DIOCLETIANI aequalium sententia, qui prae veterum sacrorum amore Tullianos de Natura Deorum libros aversabantur dicebantque adeo, oportere statui per Senatum, ut haec scripta abolerentur, quibus *Christiana religio comprobaretur et vetustatis*

---

[1]) *Strom.* I. 282.

opprimeretur auctoritas [1]). Iam, quod hi timent et affirmat ille, id ego, Historiologia duce, sic interpretor, ut tempora mihi tam commutationis sive potius *παλιγγενεσίας* indigere quam ad eandem apta esse videantur. Est autem haec progressio non tantum valde imperfecta, sed etiam lenta, et viae brevissimae saepe amfractus praefert. Inde suspicari licet, legem, quae divinitus homini scripta est, in genere humano quoque vim habere.

Verumtamen, ne quid temere suspicemur et ex temporibus quibusdam illud efficiamus, cuius tempora universa testes esse oportet, advertimus illuc. Corruit imperium Romanum, non vero cuncta intereunt, quae illud aut aliunde hausit aut ipsum attulit. Varias eius partes occupant gentes barbarae eaeque priscis incolis admiscentur. Diutissime omnia turbarum plena. Sed gentes illae fortes sunt et incorruptae atque integrae et ea sentiendi cogitandique ratione, quae, quidquid ipsa ex antiquitate suscipiet, antiquitatem tamen non instaurabit. Videntur meliora aliquando expetiturae esse, quamquam primum rara huius rei indicia apparent, in quibus nec libertatis amorem nec fidem neque existimationem feminarum nobis negligere licet. Religionem Christianam amplexae, habent unde mature proficiant. Argumento est servitus, durissima olim GRIMMIO iudice [2]) apud Germanos, temperata autem institutorum Romanorum notitia et vero religionis Christianae auctoritate, unde iam in Wisigothico, i. e. antiquissimo, legum codice dominis potestas mutilandi servos his adimitur verbis, *ne imaginis Dei plasmationem adulterent* [3]). Ipsae una cum priscis incolis sensim copulantur hierarchiae vinculo, utilissimo quidem illa aetate ad regna firmanda, et ad regendos animos tum unice efficaci. Quidquid virium atque nervorum est, confertur in res bellicas, sed bella, maximo impetu summaque perseverantia gesta, sunt *sacra*. Sacrum non minus quam militare est Ordinum Equestrium, qui ex his oriuntur, consilium. Sacra populorum aetas aeque atque heroicus animorum fervor parit rem Equestrem, poetarum carminibus celebratam iisdemque bellis magnopere excultam et amplificatam. Huius autem summum propositum est, ut iustitia vindicetur, propugnentur de-

---

1) ARNOBIUS *adv. Gent.* III. 7.
2) *Deutsche Rechtsalterth.* I, 302.
3) *Lex Wisigoth.* VI, 5, 13.

biles, adiuventur feminae, causa defendatur religionis et honoris. Quodsi quem animadvertere iuvat, multos Equites promissis suis non stetisse, respondeo, multos Graecos et Romanos adeo non novisse bona, quibus civitates antiquae floruerunt, ut eos barbaros potius et e Scythia advenas quam Athenis vel Romae natos et educatos crederes. Itaque missis iis, qui ad generosa aetatis suae studia se efferre nequeunt, haec tamen ipsa cernere licet, aliquanto, ut opinor, provectiora iis, quorum in antiquitate mentio fit. Verum id si iure affirmatur, perpetuone populis tamquam impuberibus opus erit tutela? Ad hanc quaestionem profligandam tutor et pupilli sua quisque via incedunt: ille spiritus sumit et multo acrius quam priores Ecclesiae principes illud *regere imperio populos* tuetur, hi vires bellis sacris excitatas accensosque animos in soporem delabi non sinunt. Quaecumque illorum bellorum vel tempore vel opportunitate in lucem prodeunt, haec eos vehementer movent. Incrementa mercaturae, urbium invalescentium vigor, excitatum iuris Romani studium in sentiendi cogitandique ratione multum commutationis et emendationis afferunt. Iam tutelae fundamenta nonnihil subruuntur. Gravius tamen iis nocetur, ex quo, revocatis literis antiquis, optimi quique ad hanc cognitionis lucem emergunt, quae ipsa Codicis sacri intelligentiae prodest. Mox vitia Ecclesiae in dies apparent magis et aegrius feruntur. Multorum ingenia animique praesenti rerum sacrarum ratione parum delectantur. Tum opportunitate data, ea prodit sacrorum commutatio, qua, licet haud probata ab omnibus, ingens tamen Europae pars ex hierarchica ratione ad politicam conditionem procedit. Sic populi veterum, in multis dissimiles, similes in eo sunt, quod naturae convenienter aetatem suam sacram percurrunt, antequam ad civilis societatis libertatem perveniant.

Hoc autem loco positos, quo iam porro tendentes contemplamur? Quaestio eo gravior est, quoniam inde a Columbi et Vasconis de Gama itineribus maius paratur, in quo gentium cultiorum vires se exserant, theatrum et in ipsa Europa paullatim omnes fere partes varia iunguntur rationum necessitudine. Quid igitur omnium maxime conspicimus? Studia dicunt aequalitatis in Europaeorum potentia stabiliendae, porro efficacissimam in rebus gentium vim primum sacrorum commutationis, tum mercaturae et coloniarum. Non nego, haec iure commemorari. Verumtamen aut fallor,

aut acrius contemplantibus aliud etiam apparet, quod initio tamquam in recessu cernitur, sed vires acquirit eundo et illis ipsis fortasse, quae commemorant, adiutum, tandem locum sibi poscit amplissimum. Ardorem volo ea omnia tollendi, quibus homo aliunde pendere neque ex semetipso mentem excolere seque explicare videtur. Sic initio magna in rebus gravissimis vis est antiquitatis. Literae Graecae et Latinae non tantum eo, quo sunt dignissimae, honore habentur, sed quodcumque veterum scriptis consignatum exstat, id omne praestantiae nota insignitur. Etenim desunt adhuc plerisque populis, quae cum his comparent, literarum monumenta. Verum sensim intenduntur vires, in linguis vernaculis elaboratur, his explicantur argumenta non modo antiqua, sed etiam praesentis aetatis, ex intimis animi sensibus et recessibus eruuntur ea, quae recentiorum propria sunt, omninoque suam sibi libertatem et *αὐτουργίαν* gentes in ingenii cultu vindicant. Pariter regna et civitates diu multa continent aut aliunde advecta aut ex pristina conditione servata eoque pertinentia, ut suus omnibus civium ordinibus honos suaque, legum habita ratione, aequalitas parum constent. Haec ardentissime expetuntur. Irritis votis, multi identidem alio, in regiones adeo transmarinas, secedunt. Tandem, quum temporibus commutationem flagitantibus non cedatur, armorum vis ad illa impetranda confertur, quibus societas, conscientiâ sui quasi stimulata, diutius carere nequit. In rebus sacris seculo sexto decimo rumpuntur vincula auctoritatis humanae, verum sensim nova parantur ad Dei colendi libertatem impediendam vincula. Resistitur a multis, quorum ingenium acre subtileque iudicium et hominum commenta explodit et ad omnis procedit religionis contemtionem, quam sibi ipsi non scripserunt. In his contentionibus si indicia reperiri affirmo maturioris aetatis, minime vereor, A. A., ne vobis bilem moveam, cultissimis viris planeque intelligentibus, me non praeconem esse errorum atque vitiorum, quibus, si non parens exstitit, certe multum favit superioris seculi finis. Et horum quidem vitiorum tum singuli homines tum gentes universae gravissimas dederunt poenas. Sed propterea ipsa indicia negligere ineptum est. Adsunt illa et, quidquid in iis bonae frugis est, hoc nobis ea lege fruendum conceditur, ut usu edocti mala vitemus tunc bonis mixta. Quodsi qui tamen haec tamquam Danaorum dona timent, laeti velim meminerint, alia etiam permulta radices

agere ipsis gratiora. Peregrinorum dico existimationem et infimi ordinis civium, miserorum, servorumque curam. Cogitent illi, locorum intervalla admodum deminui et humanitatis causae tot obtingere patronos, ea ut non possit non mutuâ gentium necessitudine quoquoversus transferri.

Haec nobis Historiologia contemplanda praebet. Quamobrem ea tandem colligens, quae animadvertere conati sumus, sic concludo, in progrediendi lege, cuius vis et auctoritas per seculorum cursum cernitur, magnam reperiri futuri temporis spem et exspectationem. Hinc nobis non illud agendum est, quod consequi non possumus, ut *redeamus* ad meliora; sed id amplectentes, quod conceditur, ad meliora *tendere* debemus. Quamquam fieri potest, ut aliquando aliae terrarum partes non tantum aliis antecedant, sed etiam praestantissimam in se convertant humanitatis lucem. Verumtamen num haec nobis satisfaciunt? Nihilne igitur hanc curamus, qua vivimus, aetatem? nihil patriam nostram, cuius causa plurimi timent amfractuum multitudinem, qua generis humani progressio delectari videtur? Scilicet, A. A., Historiologia teste, via et praesidia sunt rite, i. e. natura humana digne, progrediendi, quorum quo diligentius ab omnibus ratio habetur, eo certius nobis aequalibusque nostris prospicietur eoque lubentius in hac acquiescemus voce *sat cito si sat bene.* De his ultimo loco dicere constitui.

In aliis rebus alii vigorem civitatis quaerunt. Multi autem, ecquid, aiunt, pulchrius firmiusque excogitari potest quam civitas legibus rite temperata? Sua cuique scripta sunt iura et officia, quae a nullius non pagi ludimagistris cum pueris communicari oportet. Nemo pendet ex arbitrio alieno, sed legum auctoritate omnes sepiuntur. In his tamquam in ancoris consistunt civitates. — Hoc si verum est, nescio quid fiat acerbis nonnullorum de aetate nostra querelis, cui tamen nec leges desunt et hic illic ornamento atque praesidio est lex quaedam suprema, reliquarum omnium parens et domina. In hac autem sententiarum discrepantia memorabile est, Spartam et Athenas et Romam et quam non civitatem tamdiu firmatas esse legibus, quamdiu steterunt moribus. Parvi constat aureum illud Ciceronis usurpare: legum idcirco servi sumus ut liberi esse possimus. Sed quemadmodum M. Tullius, causae serviens, saepius ea pro-

tulit, quae usu non cognoverat, contra ex animi sententia dicens in Horatianum abiit *quid leges sine moribus vanae proficiunt*, ita numquam non illa servitus, hoc fundamento destituta, tam cito deposita quam suscepta est. Eo ipso fundamento nititur veneratio, qua Angli leges suas prosequuntur; hinc iis in legibus praesidium contra anarchiam et dominationem. Historiologiae autem haec vox est, chartam esse chartam, quam nulla literarum ei mandatarum praestantia arceat a vico vendente *thus et odores et piper et quidquid chartis amicitur ineptis*. Etenim sic se res habet: haec omnia tamdiu suum locum tenent, quamdiu temporibus hominum φιλαυτίᾳ commendantur. Sunt aedes in arena positae, quas aquarum vis ventique paullo vehementiores uno impetu diruunt.

Horatii sententia, quamquam praeclara, nondum omnia complectitur, quibus rite progrediendi cupidis opus est. Haud miror, si quis, in rerum praeteritarum memoria hanc ducem secutus, tantum tribuit moribus honestis, ut nihil ultra requirat. Sed morum honestati alius alios fines ponit et Historiologia rem interius persequi iubet. Docet enim, res gentium arctissime iunctas esse earundem indoli, ingeniique et animi vires tanto pluris esse, quanto efficacius reliqua provocant et moderantur. In has igitur omnes curas cogitationesque conferre operae pretium est. Quid vero, si harum curarum praecipua in eo ponitur, ut vires illae ab omni parte excolantur, purgentur a sordibus et roborentur, quo magis in homine prodeat homo? Huius natura quonam escendere possit, in illo apparuit, quo Historiologia gloriatur ut nemine magis, cuius insignia merita in omnes vitae humanae partes eadem celebrat, quem Athanasius natura humana se conspiciendum dedisse dicit, ut homo fieret divinae naturae socius [1]). Anno superiore praeclarus naturae investigator ex hac ipsa cathedra viam indicavit, qua sibi videretur his temporibus optime vel potius unice consuli posse [2]). Nihil dixit, quod a studiis contentionibusque maturioris aetatis alienum puto. Ego autem in eandem sententiam abiens nihil dicam, quod Historiologiae auctoritati adversatur; sed memo-

---

[1]) c. *Arian.* II, 165.

[2]) G. I. Mulder, *Over de licht- en schaduwzijde van de beoefening der natuurwetenschappen in dezen tijd*, p. 38 sqq.

rabo fermentum in farinae modios abditum, donec tota sit fermentata. His verbis consilii sui vim et rationem aperuit ille, qui perspicacior fuit quam ut ad summa quaeque hortaretur stipites vel saxa. Quemadmodum fermentum nihil a farina diversum continet neque iuxta eam ponitur, sed, eiusdem quippe generis materia, ad eam se applicat et in unum cum ea coalescit, sic consilium Christi non fuit afferre, quod iuxta hominem et iuxta civitatem locum occuparet, sed impertire, quod cognatione sua cum hominis natura adeo in hanc penetraret et cum ea coalesceret, ut homo tota mente et omni animi impetu ad perfectionem tendere posset. Id num indignum est virorum curis, aetate et iudicio provectiorum? num pugnat cum sapientia seculorum? Hoc si superiore seculo acutissimi illi viri perspexerant, quibus conscientia sui eas indidit vires, ut, spreta auctoritate hominum qualicumque tandem, se ipsi explicare gestirent, nonne multi eorum avia et devia vitassent, vel potius intellexissent, hominis αὐτουργίᾳ, cuius facultatem Deus nobis largitus est, sic nihil detrahi, sed mirum quantum addi? Me iudice, nonnulli vita expressissent illud, in quo longe graviore quam apud poetam sensu summa posita est hominis vis,

Dîs te minorem quod geris, imperas:
Hinc omne principium, huc refer exitum.

Haec mihi via esse videtur rite vel, quod eodem redire apparet, natura humana digne progrediendi. Difficillima ipsa est. Sed aliam ignoro. Sunt ea vitae principia, ex quibus reliqua omnia, quae ad vigorem civitatum excogitantur, prorsus pendent. Haec in sanguinem diffusa, pectora roborant. His niti vitam parentum, quorum ad exemplum liberi componuntur, tum institutionem domesticam et publicam oportet. Nam ex domo uniuscuiusque prodeunt cives, in quos tamquam in palmites si mature vitis sanitas transiit, locupletes aliquando testes erunt, in ingenii animique ad omnem cultum progressione non esse quod de his conqueramur temporibus.

Redeo, A. A., unde orsus sum. Aetas nostra Historiologiae admodum favet. Ex quo tempore de hoc argumento Groningae verba feci, nova eaque praeclara huius favoris allata sunt testimonia. Accipimus omen et speramus fore, ut ex ea doctrina, quae accuratissimam generis humani

imaginem repraesentare cupit, in hanc aetatem, insigni industria et ardore conspicuam, exquisiti redundent prudentiae sapientiaeque fructus.

Oratione pronunciata, ad alteram accedo muneris hodierni partem, in qua utinam tempori haud parcendum esset. Ego enim, exactis novem et viginti annis in hanc paene natalem urbem redux, dici vix potest quanta cum voluptate agerem de carissimis, quos desidero, praeceptoribus. Memorarem etiam commilitones vita functos, qui Academiae et discendi ardore et docendi praestantia ornamento fuerunt. Adderem de civibus vestris, quos vos coluistis, ego et iuvenis suspexi et postea magni facere numquam desii. Et, allatis nonnullorum dictis factisve notatu dignissimis, quaererem fortasse ex maioribus natu, num ipse, procul a Traiecto degens, iis oblivioni mandasse viderer bona, quae mihi in hac urbe et puero et iuveni et patri, cuius duo liberi hîc praeclare instituti sunt, per longam annorum seriem obtigerunt. Sed reprimam me, A. A., ne vestra abutar in me audiendo benevolentia.

Amplissime Rau van Gameren, Academiae Rheno-Traiectinae Curator, est sane quod te compellem enixeque rogem, ut collegas tuos, Viros Amplissimos, partim rei publicae partim valetudinis adversae causa absentes, de mea in Curatorum collegium observantia certiores facias. Horum commendatione a Rege Augustissimo huc vocatus sum. Est mihi honorificum Curatorum de me iudicium. Hoc autem eos tulisse nonnullis fortasse inexspectatum accidit, nemini vero magis inexspectatum quam mihi, ea inde a duodecim annis uso fortuna et sic quassato domesticis cladibus, ut numquam de iucundiore vitae statione cogitarem. Quodsi qui parum probabile censent, faxit Deus, ut usu haud cognoscant, quantopere domus florentissimae clades locis devinciat, in quibus carissimorum capitum vestigiis legendis dolendi voluptati indulgere licet. Haec loca, civium etiam et amicorum benevolentiâ, auxilio, misericordiâ et indulgentiâ in afflictum patremfamilias incredibiliter cara, non temere relinquuntur. Reliqui tamen urbem mihi multis nominibus dilectam et opto vehementer, ut bene mihi

eveniat, quod subductis rationibus a Groninga me divelli passus sum. Eveniet autem bene, Vir Amplissime, si Academiae Curatores non reperient cur suae eos poeniteat de me Doctore Academico sententiae.

In vestrum Ordinem quum intueor, Viri Clarissimi, varie me affici sentio. Nam sicut multos desidero mihi carissimos viros et ad multos ignotus accedo, ita tum horum erga me humanitatem laetus perspexi tum amicorum meorum fidem hilari mente praedico.

Hoc dicenti mihi tu continuo obversaris, amicissime KARSTENE. Quod Groninga huc vocatus deliberare coepi, ecquid consilii caperem, tuum unius est. Nam, quum tibi exposueram, cur Praeceptori nostro in Literarum Latinarum cathedra succedere haud cuperem, tu honorificis quidem verbis a veteri condiscipulo et amico dissensisti, sed ea tamen conditione me iussisti de munere adeundo deliberare, ut scholae illius philologicae a te, a me autem historicae tuae haberentur. Nihil vidi benevolentius. Quamobrem a te discedens ea affirmavi, quae publice repeto, quodcumque mihi optimum factu videretur, tuae erga me benevolentiae memoriam nullum diem deleturum esse. Nunc autem hoc addo: habebis me, KARSTENE, collegam non tantum tui observantissimum, sed eum omnino, qui et in aliis doctrinae nostrae partibus et in hac ipsa, qua meam in gratiam cessisti, tuam suspiciat eruditionem.

Hoc tibi, certo scio, voluptati est, Clar. VAN GOUDOEVER, qui quanti facias condiscipulum meum, neminem fugit. Probas etiam, eam, quam dixi, tui muneris partem ipsi esse mandatam, et de Antiquitatibus Romanis, quas ego lubens tradam, noli dubitare, quin optime sciam, quantopere harum quoque explicatio per quadraginta fere annos tibi in deliciis fuerit. Hoc temporis spatio quantus fuit discipulorum tuorum numerus! In his autem ego et KARSTENUS tum fuimus, quum tu aetate florentissima summaque in docendo alacritate eras et plurimos imbuebas tum literarum tuarum tum bene dicendi scribendique amore. Nunc autem quamquam otio frueris honorificentissimo, una tamen cum KARSTENO et cum Clar. OPZOOMER meas nondum huc delati partes egisti, qua de re tibi, vobisque, collegae coniunctissimi, Academiae nomine gratias ago quas possum maximas; sed tu, Praeceptor optime, quemadmodum olim de me bene meruisti, ita

nunc meritis tuis hoc addas velim, ut discipulum errantem in viam revoces, confirmes dubium discendique cupidum tua adiuves doctrinae copia. Tibi autem ut diutissime vegeta sit senectus eaque omni bonorum genere ornata, ex animo precor.

Arcta est, Clar. Holtius, inter varias illas doctrinas, quas tu eximie colis, et eam, quae mihi tradenda mandatur, necessitudo. Tuus equidem discipulus non fui. Quod doleo. Nam te et Lovanii ante hos triginta annos et postea Traiecti de iure Romano disserentem audivi. Quamquam ex scriptis tuis me nonnihil profecisse gaudeo. Suspicaris igitur, quid praesens praesentem rogem. Rogo autem eo fidentius, quo maiore me inde a commoratione Lovaniensi prosecutus es benevolentia. Et huius quidem benevolentiae causam tum alias saepe tum vero hac aestate exquirens, visus mihi sum hanc reperisse maximam, quod, qui Heusdio cari erant, tibi cordi sunt. Accepi, te in scholis tuis Heusdium aliquando sic citasse, eum ut vocares *communem nostrum omnium praeceptorem.* Haec vox ab illo profecta, qui ampullas et sesquipedalia aversatur, dici vix potest quam grata fuerit proximis viri egregii cognatis, quam iucunda mihi, qui avunculum sicut patrem colui et me ab eo filii instar dilectum esse novi. Illi quantum debeam, alii suspicantur, ego autem — nam persevero in sententia, quam ante hos quatuordecim annos pronunciavi — sed ego et scio unus et penitus sentio et obliviscar numquam et apte tamen pleneque exponere nequeo. Multa, Vir Eruditissime, tua sunt in Heusdii liberos amicitiae documenta. Memetipsum tibi sicut filium eius natu maximum commendo.

Sed vobis omnibus, Viri Clarissimi, me admodum commendo. Quo plures in Ordine vestro esse intelligo, quibuscum arduum foret ingenii et eruditionis certamen, eo lubentius cum omnibus amicitia et fide certabo.

Ad vos accedo, Auditores Humanissimi. Fausta mihi optastis auspicia. Huc, quantum in vobis fuit, contulistis. Grata mihi omnium praesentia accidit, grata in primis vestra, dilectissimi cognati A. C. van Heusde et van Hees, qui in vita occupatissima aliunde ad haec sollennia celebranda huc venistis vestrumque, quem plurimi facio, in me amorem probastis. Sed doleo, ab iis propter aetatem illum abesse virum, quem unum praeter

GOUDOEVERIUM nostrum praeceptoris nomine compellare licet. Nam DORNSEIFFENI disciplinam, quam adolescens percepi, exquisitis illam suavitatis, leporis, diligentiae et gravitatis laudibus se commendantem, equidem memori pectore condo et lubens recordor. Quid igitur affirmem, quanti venerandum senem faciam quamque vehementer ei senectutem exoptem placidam, lenem, et vitae honestissime exactae conscientia exhilaratam! Aliorum praesentia mihi iucunda est, tua non iucunda esset, Consultissime BROERS, amicorum meorum antiquissime et integerrime? Per octo et triginta annos arctissima nos iunxit amicitia. Academiae cives quotidie una fuimus. Seria et ioca egimus. In scholis Professorum alter ab alterius latere non discessit. Communis nobis praestantissimorum Praeceptorum amor fuit, communis SCHRÖDERI admiratio, qui philosophia morali praeclare tradenda eaque singulari etiam vitae suae integritate commendanda non minorem illo tempore in iuvenum animis vim habuit, quam Orationibus sacris pronunciandis HERINGA ille, cuius ingenium perspicax et intimam animi humani recessuum notitiam cultissimi quique suspexerunt. Eo tempore multa fuerunt tua in me merita, nonnulla quoque mea in te. Nam amicissimum mihi iuvenem Heusdianae domo commendavi, cuius sociis nosti quam carus et vivo avunculo fueris et postea, quum in dilectissimis aedibus optimi viri vestigia legebamus. Tandem, mi BROERSI, a te discessi ad munus Professoris in Athenaeo Franequerano gerendum. Hunc abitum si nihil nocuisse dico amicitiae nostrae, parum dico. Contra crevit eadem. Quae prospera et adversa alteri evenerunt, horum in communionem numquam non alter venit. Itaque me, huc vocatum, interdum tui subiit cogitatio. Nunc autem ad te redeunti in votis est, ut ultima vitae nostrae parte non amplius loci intervallo separemur!

Academiae Rheno-Traiectinae alumni, Iuvenes Ornatissimi, quam me delectat adspectus vester! Ea estis et aetate et vitae conditione, cuius maximum vobis, doctrinis et patriae est momentum. Nam Academiae non officinae sunt, ubi panis unice gratia suam quisque artem discat, sed eruditionis et humanitatis sedes sunt, unde eruditos, liberales, iustos et tenaces propositi, ab animo pariter atque ab ingenio excultos cives patria exspectat et flagitat. Talium enim virorum ipsa, ut salva esse possit, quam

maxime indiget. Hi ut e nulla non Musarum sede prodeant multi, prodeant in primis e Traiectina nostra, vestro ex ordine, Optimi Iuvenes, quid dicam quam ardenter omnes optemus! Vos igitur cuicumque doctrinae operam navatis, vestri progressus, honorifica Praeceptorum, de vobis bene sperantium, iudicia mihi curae erunt. Vestrum vero quotquot mea disciplina utentur, nihil prius potiusve habebo nisi ut his pro viribus prospiciam. Hos fortiter hortari, amice monere omnique iuvare officiorum genere longe gratissimum erit. Quae quidem ut mihi prospere cedant, ut Academiae Curatoribus atque collegis meis fausta porro eveniant omnia, et ut alumni discendi ardore, progressibus, pulchri, veri sanctique amore se plurimum commendent,

FAXIT DEUS OPTIMUS MAXIMUS.



SERIES LECTIONUM,

IN ACADEMIA RHENO-TRAIECTINA

INDE A FERIIS AESTIVIS ANNI MDCCCLV USQUE AD FERIAS AESTIVAS ANNI MDCCCLVI

A PROFESSORIBUS ET LECTORIBUS HABENDARUM,

RECTORE

IACOBO VAN HALL.

IN FACULTATE IURIDICA.

Doctrinam Pandectarum MÜHLENBRUCHIANAM e voll. II et III enarrabit A. C. HOLTIUS, diebus martis, mercurii, iovis et veneris, hora XII.

Historiam Iuris Romani, secundum *Lineamenta* a se edita (ap. v. d. Post ed. alt. 1840) tradet A. C. HOLTIUS, die lunae, hora XII, diebus iovis et saturni, hora X.

Institutiones Iustiniani interpretabitur B. I. L. DE GEER, diebus lunae, martis, mercurii, iovis, veneris et saturni, hora VIII.

Encyclopaediam Iuris exponet B. I. L. DE GEER, diebus martis, mercurii et veneris, hora I.

Ius civile Nederlandicum docebit I. VAN HALL, die lunae, hora XII, diebus martis, mercurii et iovis, hora I.

Ius mercatorium et maritimum exponet I. VAN HALL, diebus lunae, mercurii et veneris, hora IX.

Rem iudiciariam et rationem procedendi in causis civilibus explicabit I. VAN HALL, diebus lunae, mercurii et veneris, hora X.

Exercitiis practicis, a provectioribus instituendis, praeerit I. VAN HALL, alternis hebdomadibus, die mercurii, hora vespertina VI.

Repetitorium de Iure civili instituet I. VAN HALL, die lunae, hora I, *de iure mercatorio et maritimo*, die iovis hora II.

Historiam gentium recentiorum politicam tradet I. ACKERSDYCK, diebus martis, iovis et saturni, hora XI.

Statisticam I. ACKERSDYCK, iisdem diebus, hora IX.

Oeconomiam politicam docebit I. ACKERSDYCK, diebus lunae, mercurii et veneris, hora XI.

Disciplinae Iuris naturalis fata et praecipua placita exponet G. G. VREEDE, diebus lunae, mercurii et veneris, hora IX.

Ius publicum Batavum tradet G. G. VREEDE, diebus lunae et martis, hora VIII.

Iurisdictionis administrativae, quae dicitur, selectas caussas tractabit G. G. VREEDE, die saturni, hora I.

Ius gentium Europaeum tradet G. G. VREEDE, diebus martis et saturni, hora X.

Ius criminale docebit G. G. VREEDE, diebus mercurii, iovis et veneris, hora VIII.

Codicem Quaestionum criminalium explicabit G. G. VREEDE, die iovis, hora X, die veneris, hora I, die saturni, hora VIII.

Publicis disputandi exercitiis deinceps praeerunt iuris Professores alternis hebdomadibus, die saturni, hora XII.

IN FACULTATE PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET LITERARUM HUMANIORUM.

Logicam docebit C. G. OPZOOMER, diebus iovis, veneris et saturni, hora II.

Metaphysicam C. G. OPZOOMER, diebus iovis, veneris et saturni, hora I.

Historiam philosophiae veteris enarrabit S. KARSTEN, diebus lunae et mercurii, hora II.

Literas Graecas docebit S. KARSTEN, diebus martis, mercurii, iovis et veneris, hora XI, interpretando Aeschyli *Agamemnonem* et Lysiae Orationes selectas.

Literas Latinas atque *Antiquitatem Romanam* } diebus horisque postea indicandis docebit, qui ad occupandam vacantem cathedram mox, uti speramus, vocabitur.

Antiquitatem Graecam S. KARSTEN, diebus lunae et veneris, hora XII.

Literas Hebraicas, vacante cathedra, tradet B. I. L. DE GEER, die lunae, hora I, diebus martis et veneris, hora II, die iovis, hora XII.

Antiquitatem Hebraicam, vacante cathedra, B. I. L. DE GEER, diebus lunae, martis, mercurii et iovis, hora IX.

Literaturae Arabicae atque universe *Orientalis* initia, vacante cathedra, tradet H. BOUMAN, die mercurii, hora IX aliave commodiore.

Literas Belgicas et Literarum Belgicarum Historiam exponet L. G. VISSCHER, diebus lunae, martis, veneris et saturni, hora X.

Praecepta stili bene Belgici L. G. VISSCHER, diebus lunae, martis et saturni, hora II.

Historiam gentium antiquarum enarrabit S. KARSTEN, diebus martis, mercurii et iovis, hora XII.

Historiam medii aevi et recentiorum temporum I. ACKERSDYCK, diebus mercurii et veneris, hora I.

Historiam Patriae L. G. VISSCHER, die lunae, hora XI, diebus martis et iovis, hora XII, die saturni, hora I.

Institutiones paedagogicas habebit S. KARSTEN, die saturni, hora IX et X, partim *metrica* explicanda, partim moderanda interpretatione *Anthologiae lyricorum* Graecorum et *Satirarum* Horatii.

Disputandi exercitationes, alternis hebdomadibus, die mercurii, hora XII, instituendas, moderabitur S. KARSTEN.

I. C. SWYGHUISEN GROENEWOUD, quamquam ob aetatem rude donatus, tamen studiosae Literarum Orientalium iuventuti, quoad poterit et licebit, prodesse lubenter paratus erit.

A. VAN GOUDOEVER, quamquam ob aetatem septuagenariam rude donatus, tamen, quantum per vires licebit, Academiae civibus prodesse conaturus est.

G. DORN SEIFFEN, Lit. Hum. Lector, praecipua tam antiquarum, quam recentiorum gentium Historiae facta enarrare gentesque, quod ad culturae progressus, inter se comparare perget, diebus mercurii et saturni, hora XI aliave commilitonibus magis commoda.

IN FACULTATE MEDICA.

Anatomen docebit I. L. C. Schroeder van der Kolk, quater per dierum hebdomadem, hora IV.

Dissectionibus cadaverum anatomicis, opportuno anni tempore instituendis, praeerit quotidie I. L. C. Schroeder van der Kolk.

Anatomen generalem docebit et *Organorum fabricam subtiliorem normalem et morbosam* demonstrabit P. Harting, diebus lunae et martis, hora I.

Physiologiam I. L. C. Schroeder van der Kolk, diebus lunae, martis et iovis, hora VIII, die mercurii, hora IX.

Anthropologiam anatomico-physiologicam tradet F. C. Donders, inde a feriis aestivis usque ad mensem Martium, quater per dierum hebdomadem, hora V et dimidia post meridiem.

Experimentis et *indagationibus physiologicis* et *microscopicis* in Laboratorio physiologico quotidie praeerit F. C. Donders.

Biologiam generalem exponet F. C. Donders, die mercurii, hora XI, die iovis, hora X.

Pathologiam, sectionibus cadaveris illustratam, tradet F. C. Donders, diebus martis et iovis, hora IX, diebus veneris et saturni hora X.

Materiem medicam et praecipua *therapiae generalis* capita exponet G. I. Loncq, diebus lunae, mercurii et veneris, hora II; post ferias autem paschales, die veneris, hora IX.

Plantarum historiam naturalem, in primis medicinalium tradet P. Harting, die iovis, hora XI, die veneris, hora XII.

Pathologiam et therapiam specialem G. I. Loncq, diebus martis et iovis, hora IX, die mercurii, hora VIII.

Exercitationes clinicas in arte medica quotidie moderabitur G. I. Loncq, hora XI, in Nosocomio Academico.

Theoriam artis chirurgicae tradet L. C. van Goudoever, diebus lunae, mercurii et veneris, hora VIII, die saturni, hora IX.

Exercitationes polyclinicas in arte chirurgica, diebus lunae, mercurii et veneris hora IX, *ophthalmiatricas*, diebus martis, iovis et saturni hora X, *clinicas* vero tum *chirurgicas*, tum *ophthalmiatricas* quotidie moderabitur L. C. van Goudoever, in Nosocomio Academico.

Operationibus chirurgicis, in cadavere instituendis, qualibet oblata occasione praeerit L. C. VAN GOUDOEVER.

Deligandi exercitationes moderabitur L. C. VAN GOUDOEVER, die lunae, hora V—VII post meridiem.

Artis obstetriciae theoriam exponet L. C. VAN GOUDOEVER, diebus martis et mercurii, hora XII et dimidia post meridiem; morbos puerperarum et neonatorum die iovis, hora IX atque XII et dimidia.

Exercitationibus obstetriciis practicis praeerit L. C. VAN GOUDOEVER, diebus lunae et veneris, hora XII—II, et ad parturientium lectulos qualibet oblata occasione.

Medicinam forensem exponet F. C. DONDERS, inde a feriis aestivis usque ad d. XV m. Februarii, *politiam medicam* inde a die XVI m. Februarii usque ad ferias aestivas, diebus mercurii, iovis et veneris, hora II.

Ophthalmologiam docebit et *exercitationes clinicas in ophthalmiatria* moderabitur F. C. DONDERS, die mercurii, hora I, die saturni, hora I ad III.

B. F. SUERMAN, quamvis munere suo sit defunctus, selecta tamen quaedam e disciplina pathologico-chirurgica tractabit capita, speciminibus e museo suo illustranda.

Summam etiam eorum, quae de rite perfungendo medici officio ipse longo artis exercitio didicit, cum commilitonibus communicabit, diebus et horis deinde indicandis.

IN FACULTATE MATHESEOS ET PHILOSOPHIAE NATURALIS.

Physicam experimentalem exponet R. VAN REES, diebus lunae, martis, mercurii, iovis et veneris, hora I.

Mechanicam analyticam R. VAN REES, diebus lunae, mercurii et veneris, hora XI.

Physicae mathematicae capita selecta R. VAN REES, diebus martis et iovis, hora XI.

Chemiam practicam G. I. MULDER, quotidie in Laboratorio chemico.

Botanices et Physiologiae plantarum elementa exponet C. A. BERGSMA, diebus lunae, martis et mercurii, hora XI.

Botanicam Historiam plantarum medicinalium C. A. Bergsma, diebus lunae et martis, hora XII.

Anatomiam plantarum C. A. Bergsma, diebus et horis, auditoribus commodis.

Oeconomiam ruralem C. A. Bergsma, diebus mercurii et saturni, hora XII, duce compendio suo: *Handboek voor de Vaderlandsche Landhuishoudkunde*, ed. Trai. ad Rhen. 1842.

Excursionibus botanicis singulis hebdomadibus praeerit C. A. Bergsma.

Zoologiam docebit Th. G. van Lidth de Ieude, diebus lunae et martis, hora X.

Anatomen comparatam Th. G. van Lidth de Ieude, diebus et horis, auditoribus commodis.

Anatomen et *Physiologiam plantarum* docebit P. Harting, diebus lunae et iovis, hora II.

Exercitationibus microscopicis, ad studia zootomica, phytotomica et chemica applicatis, quotidie praeerit P. Harting.

Astronomiam popularem tradet C. H. D. Buys Ballot, die martis, hora XII, die veneris, hora X.

Astronomiae practicae vacabit C. H. D. Buys Ballot, diebus mercurii et iovis, hora pomeridiana octava in speculae auditorio.

Elementa matheseos docebit C. H. D. Buys Ballot, ante ferias hiemales quotidie; post illas, diebus lunae, martis et mercurii, hora IX.

Stereometriam, trigonometriam sphaericam et *algebram* C. H. D. Buys Ballot, inde a Kal. Novembribus diebus martis, mercurii, iovis et saturni, hora VIII.

Calculum differentialem C. H. D. Buys Ballot, diebus mercurii, iovis, veneris et saturni, hora XII.

Oryctognosiam exponet P. I. I. de Fremery, diebus lunae et martis, hora II.

Geologiam tradet P. I. I. de Fremery, diebus mercurii, iovis et veneris, hora II.

Geographiam physicam docebit P. I. I. de Fremery, bis per dierum hebdomadem, hora auditoribus commoda.

Exercitationibus mineralogicis praeerit P. I. I. de Fremery die saturni, hora I—III.

Chemiam organicam docebit I. W. Gunning, Chemiae Lector, diebus lunae, martis et mercurii, hora IX.

Chemiam forensem I. W. Gunning, die veneris, hora XI et XII.

Chemiam technicam publice docebit I. W. Gunning, hora deinde indicanda.

IN FACULTATE THEOLOGICA.

Encyclopaediam theologicam tradet H. Bouman, die veneris, hora IX.

Philosophiae de Deo, sive *Theologiae Naturalis*, *historiam recentiorem* enarrabit H. Bouman, die iovis, hora IX.

Historiam librorum Veteris Testamenti, sive *Introitum in Vetus Testamentum* tradet H. Bouman, die martis, hora IX.

Historiam librorum Novi Testamenti, sive *Introitum in Novum Testamentum* tradet B. ter Haar, die veneris, hora XII.

Hermeneuticae sacrae partem priorem tradet H. Bouman, die lunae, hora IX.

Iesaiae Vaticinia interpretari perget H. Bouman, diebus iovis et veneris, hora X.

Epistolas Petri alteram, *Iudae Ioannisque* explicabit H. Bouman, diebus lunae et martis, hora X.

Historiam Ecclesiae Christianae tradet B. ter Haar, diebus lunae et martis, hora I, die mercurii, hora X.

Theologiam dogmaticam docebit H. E. Vinke, diebus lunae, martis et mercurii, hora XI.

Theologiam biblicam tradet H. E. Vinke, die iovis, hora XI et XII.

Ethicam Christianam docebit B. ter Haar, diebus lunae et martis, hora II, die mercurii, hora IX.

Theologiam pastoralem tradet H. E. Vinke, diebus lunae, martis et mercurii, hora XII.

Puerorum doctrinae Christianae initiis *erudiendorum* exercitationem instituet H. E. Vinke, die veneris, hora XI.

Commilitonibus, *orationes sacras* habentibus, praesides aderunt H. Bouman, H. E. Vinke et B. ter Haar, diebus et horis, tum sibi, tum commilitonibus maxime commodis.

A. C. Oudemans docebit *Chemiam anorganicam*, diebus iovis, veneris et saturni, hora IX.

A. C. Oudemans *Chemiam theoreticam*, die lunae, hora X.

C. L. Vlaanderen docebit *Chemiam analyticam*, diebus lunae, martis et mercurii, hora XII.

C. L. Vlaanderen *Chemiam pharmaceuticam*, diebus iovis et veneris, hora X.

I. H. Hisgen, Literarum Germanicarum Lector, diebus et horis auditoribus commodis, *Literas Germanicas et Literarum Germanicarum historiam, inde a sec. XVIII*, exponet.

I. Venning, Literarum Anglicarum Lector, *Literas Anglicas* docebit, hora auditoribus commoda.

Bibliotheca Academica diebus lunae, martis, mercurii, iovis, veneris et saturni, ab hora XII ad IV, feriarum autem tempore singulis diebus iovis, ab hora I ad III, unicuique patebit. Museum zoologicum et mineralogicum quotidie patebit.

NUMERUS STUDIOSORUM

IN ACADEMIA RHENO-TRAIECTINA

DIE XXXI DECEMBRIS MDCCCLV.

---

in Facultate	Iuridica	. . . .	187.
〃	〃	Phil. Theor. et Lit. Hum. . .	10.
〃	〃	Medica	55.
〃	〃	Math. et Phil. Nat.	6.
〃	〃	Theologica	229.
			487.

Praeterea in Album Academicum nomina Studiosorum, in Athenaeis studiis operam navantium, relata sunt, eo consilio, ut hîc examinentur et Doctores creentur, quorum

in Facultate	Iuridica	. . . .	29.
〃	〃	Phil. Theor. et Lit. Hum. . . .	3.
〃	〃	Medica	15.
〃	〃	Math. et Phil. Nat.	2.
〃	〃	Theologica	26.
			75.

DOCTORES CREATI

IN ACADEMIA RHENO-TRAIECTINA,

A DIE XXVII MARTII A. MDCCCLV AD DIEM XXVI MARTII A. MDCCCLVI.

IN FACULTATE IURIDICA.

d. 24 m. Aprilis. Menso Ioannes Pynappel, Amstelodamensis, *publice* defenso Specimine *de facultate coniugum pactis nuptialibus ius constituendi, quod inter se et extraneos valeat*, Iuris Romani et Hodierni Doctor, *magna cum laude.*

″ 1 ″ Maii. Iohannes Henricus André de la Porte, Arnhemiensis, privatim defensis Quaestionibus Iuris, I. R. et H. Doctor, *cum laude.*

″ 11 ″ ″ Guilielmus Fredericus Ernestus van Aerssen Beyeren van Voshol, Daventriensis, privatim defensis Quaestionibus Iuris, I. R. et H. Doctor, *cum laude.*

″ 12 ″ ″ Fredericus Isaacus van Voorthuysen, Leerdamensis, privatim defensis Quaestionibus Iuris, I. R. et H. Doctor.

″ 27 ″ Iunii. Antonius Leopoldus Fraissinet, Amstelodamensis, privatim defensis Quaestionibus Iuris, I. R. et H. Doctor.

″ 27 ″ ″ Daniel Maximilianus Marie d'Hangest d'Yvoy, e pago de Bilt, privatim defensis Quaestionibus Iuris, I. R. et H. Doctor.

″ 27 ″ ″ Nicolaus Henricus van Nes van Meerkerk, Haganus, privatim defensa Dissertatione Iuridica *de Vectoribus*, I. R. et H. Doctor, *magna cum laude.*

d. 2 m. Iulii OTTO MAXIMILIANUS MARIA ANTONIUS VICTOR VAN HUGENPOTH, Arnhemiensis, privatim defensis Quaestionibus Iuris, I. R. et H. Doctor.

〃 20 〃 Oct. IANUS HENRICUS STRICK VON LINSCHOTEN, e pago Rhynauwen, privatim defensis Quaestionibus Iuris, I. R. et H. Doctor.

〃 4 〃 Dec. FREDERICUS GOTHOFREDUS HOUCK, Daventriensis, privatim defensis Quaestionibus Iuris, I. R. et H. Doctor.

〃 5 〃 〃 GUILIELMUS ASUERUS IACOBUS SCHIMMELPENNINCK VAN DER OYE, Hesychia-Caroliniensis, *publice* defenso Specimine Iuridico *de portu, in quem navis se periculi causa recipiat*, I. R. et H. Doctor.

〃 11 〃 〃 BENIAMIN GERHARD HAVERKAMP PRINS, e pago Landsweer, privatim defensis Quaestionibus Iuris, I. R. et H. Doctor.

IN FACULTATE PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET LITERARUM HUMANIORUM.

〃 7 〃 Maii ABRAHAMUS GUILIELMUS DE KLERCK, Rheno-Traiectinus, privatim defensa Disquisitione Historico-Literaria de *L. Munatio Planco*, Philosophiae Theoreticae Magister Literarum Humaniorum Doctor, *magna cum laude*.

IN FACULTATE MEDICA.

〃 18 〃 Maii. HENRICUS FRANCISCUS THYSSEN, Amstelodamensis, privatim defensa Dissertatione Medica *de morte suspensorum, nec non de quaestione, utrum vivus quis, an mortuus suspensus fuerit, novis aliquot casibus subiectis*, Medicinae Doctor, *magna cum laude*.

〃 18 〃 〃 IOANNES GEORGIUS MARIA HANLO, Amstelodamensis, privatim defenso Specimine Physiologico-Medico *de extracti carnis frigide parati virtute nutriente*, Medicinae Doctor, *magna cum laude*.

d. 19 m. Iunii. Arnoldus Franciscus Verhoeff, Rheno-Traiectinus, Med. et Artis Obst. Dr., privatim defensis Quaestionibus Argumenti Chirurgici, Chirurgiae Doctor, *cum laude*.

" 19 " " Arius van Eyk, Heusdensis, Med. Dr., privatim defensis Quaestionibus Argumenti Obstetricii, Artis Obstetriciae Doctor, *cum laude*.

" 23 " " Quirinus Iohannes Marius Ianssen, Goesanus, Med. Dr. privatim defensis Quaestionibus Argumenti Obstetricii, Artis Obstetriciae Doctor, *cum laude*.

" 27 " " Ioannes Coomans de Ruiter, e pago Stolwyk, privatim defensa Dissertatione Medica *continente quaedam de obturatione arteriarum, casu praemisso*, Medicinae Doctor, *cum laude*.

" 28 " " Leonardus van Loenen, Rheno-Traiectinus, Med. Dr., privatim defensis Quaestionibus Argumenti Obstetricii, Artis Obstetriciae Doctor, *cum laude*.

" 29 " " Iohannes van der Beke Callenfels, Flessinganus, privatim defensa Dissertatione Physiologico-Medica *continente disquisitiones de vi nervorum vaso-motoriorum in circulationem et caloris productionem*, Medicinae Doctor, *magna cum laude*.

" 29 " " Petrus Alexander Fredericus Maitland, e pago Vorden, privatim defensa Dissertatione Medica *de susurru iugulari*, Medicinae Doctor, *cum laude*.

" 29 " " Christianus Gerhardus van Reeken, Amstelodamensis, privatim defensa Disquisitione Microscopico-Anatomica *de apparatu oculi accommodationis*, Medicinae Doctor, *magna cum laude*.

" 22 " Oct. Iohannes van der Beke Callenfels, Flessinganus, Med. Dr., privatim defensis Quaestionibus Argumenti Obstetricii, Artis Obstetriciae Doctor, *cum laude*.

" 30 " Nov. Lambertus Fredericus Antonius Muller, e pago Kuinre, privatim defensa Dissertatione Psychologico-Physiologica de *motibus quos dicunt reflexos*, Medicinae Doctor, *magna cum laude*.

d. 22 m. Dec. GERARDUS DRESSELHUYS, Amstelodamensis, privatim defensa Dissertatione Medica de *aëris vi in corpus humanum pro humore contento diversa*, Medicinae Doctor, *cum laude.*

〃 26 〃 Febr. ADRIANUS HENRICUS TELJER, e pago Iutphaas, privatim defensa Dissertatione Medica de *bilis concrementis vulgo calculis dictis*, Medicinae Doctor, *cum laude.*

IN FACULTATE THEOLOGICA.

〃 21 〃 Iunii LUDOVICUS DE GEER, Rheno-Traiectinus, *publice* defenso Specimine Historico et Exegetico de *Oraculo in Moabitas, quod occurrit Iesaiae C.* 15, 16, Theologiae Doctor, *magna cum laude.*

〃 22 〃 〃 GERARDUS VAN LEEUWEN, e pago Gouderak, *publice* defenso Specimine Exegetico-Theologico de *poetica dictione in Epistola Iacobi*, Theologiae Doctor, *magna cum laude.*

〃 11 〃 Martii PAULUS STEEN, Amstelodamensis, *publice* defenso Specimine Exegetico-Theologico de *ἀποκαταστάσεως πάντων*, Theol. Doctor, *magna cum laude.*

〃 11 〃 〃 HERMANNUS GERARDUS HAGEN, Amstelodamensis, *publice* defensa Disquisitione Historico-Dogmatica de *dogmate immaculatae conceptionis Mariae*, Theologiae Doctor, *magna cum laude.*

ACADEMIA

GRONINGANA.

NOMINA PROFESSORUM ET LECTORIS,

QUI

INDE A D. XI OCTOBRIS MDCCCLV AD D. IX OCTOBRIS MDCCCLVI

IN ACADEMIA GRONINGANA

DOCENDI MUNUS OBIERUNT.

RECTOR MAGNIFICUS

IANUS HISSINK IANSEN.

SENATUS ACADEMICI ACTUARIUS

ISAACUS VAN DEEN.

IN FACULTATE MEDICA.

I. BAART DE LA FAILLE.
F. Z. ERMERINS.
I. HISSINK IANSEN.
I. VAN DEEN.

IN FACULTATE DISCIPLINARUM MATHEMATICARUM ET PHYSICARUM.

H. C. VAN HALL.
I. W. ERMERINS.
N. MULDER.
W. A. ENSCHEDÉ.
P. I. VAN KERCKHOFF.

IN FACULTATE THEOLOGICA.

P. HOFSTEDE DE GROOT.
L. G. PAREAU.
W. MUURLING.

IN FACULTATE PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET LITERARUM HUMANIORUM.

F. C. DE GREUVE.

I. A. C. ROVERS, mense Novembri Ultraiectum profectus.

I. I. P. VALETON.

I. A. C. VAN HEUSDE, qui mense Novembri munus deposuit.

W. I. A. IONCKBLOET.

W. HECKER, qui d. 22 m. Decembris munus auspicatus est.

C. M. FRANCKEN, qui d. 7 m. Februarii munus auspicatus est.

IN FACULTATE IURIDICA.

H. NIENHUIS.

I. H. PHILIPSE.

C. STAR NUMAN.

R. T. H. P. L. A. VAN BONEVAL FAURE, Prof. Extr., qui d. 17 m. Aprilis munus auspicatus est.

LECTOR PAEDAGOGICES.

W. HECKER, qui d. 22 m. Decembris Professoris munus suscipit.

ORATIO

DE

HODIERNO STUDIO, MATERIEM EIUSQUE PROPRIETATES PRO SUMMO HOMINIS ET RELIQUARUM RERUM NATURAM INTERPRETANDI FONTE HABENDI,

QUAM HABUIT

IANUS HISSINK IANSEN,

QUUM RECTORIS ACADEMIAE GRONINGANAE MAGNIFICI MUNUS DEPONERET,

DIE IX M. OCTOBRIS A. CIƆIƆCCCLVI.

ACADEMIAE GRONINGANAE CURATORES, VIRI AMPLISSIMI QUIQUE HIS AB ACTIS ES, VIR GRAVISSIME!

QUARUMVIS DISCIPLINARUM PROFESSORES, VIRI CLARISSIMI CONIUNCTISSIMI!

HUIUS ACADEMIAE CIVES, IUVENES LECTISSIMI!

CUIUSCUMQUE ORDINIS ET LOCI, AUDITORES EXOPTATISSIMI!

Progressus facti in artibus et disciplinis, multifarius et rectus earum usus in vita civili diversissimisque eius conditionibus, fructus inde redundantes in hominum salutem universam et cultum ingenii, ecce! spectaculum in quod sine summa animi voluptate nemo intueatur!

In singulis fere doctrinis singularumque partibus diversis, annis huius saeculi hucusque lapsis, progressio, quam volumus, observata est; nec minima sane in iis disciplinis, quae circa rerum naturam versantur. Multae res huius, quo vivimus, saeculi initio incognitae, detectae sunt et viam straverunt, qua incedentes homines alias plures in posterum detecturi esse videantur.

Laeti observamus hanc continuam progressionem disciplinarum, unde maior lux exspectari potest, quae nebulas superstitionis et praeiudicatarum opinionum magis magisque discutiat. Sed reticere non possum dolorem, quem sentimus, ubi videmus progressus illos disciplinarum naturae scrutatores eo perducere, ut extra limites imperii doctrinarum suarum vagentur; ubi videmus eos doctrinarum suarum ope quaestionibus respondere studere, quae, licet sint coniunctae cum rebus, quas contemplantur, tamen via et ratione doctrinarum illarum solvi neutiquam possunt.

Eiusmodi a vera via aberratio istarum disciplinarum postremis annis omnino observata est; illa nempe aberratio, quae a materia ipsa nomen obtinuit, qua eruditi materiem, nec quidquam aliud praeter materiem agnoscentes eo perducuntur ut in hac suum Deum ponant et religionem et officia hominum evertant, itaque homini eripiant id quod prae omnibus reliquis carum esse illi debet et sine quo humanam naturam exuere censendus est.

Licet in Germania malum illud latius serpserit, in qua ista philosophandi ratio suos sibi obtinuit patronos inter physiologos, ceterum eximios, tamen non libera ab illo malo mansit patria nostra.

Itaque non mihi prorsus alienum visum est ex hac re argumentum orationis desumere: dicam igitur *de hodierno studio materiem eiusque proprietates pro summo hominis et reliquarum rerum naturam interpretandi fonte habendi;* ita ut summa huius philosophiae placita et argumenta ad doctrinarum naturalium normam recenseam et quam certo in perniciem humanitatis tendat, ostendam!

Vos A. H. animis linguisque favete!

Istud studium e materia et materiae facultatibus omnia interpretandi novum non est. Ne longe quaeramus, in memoriam revocemus finem saeculi superioris cum in Gallorum philosophia maximopere illud emineret, et haec res a civibus elegantioribus et ditioribus plerisque avide arriperetur; ideo fortasse, quia, in corruptione morum universa, ista philosophia morum depravationem excusaret et impune permitteret ut voluptatibus quibusvis unusquisque quantum vellet indulgeret. Quamquam autem ista philosophia illius temporis cum huius aevi, de qua loquimur, nonnulla communia habet, differentia tamen facile notatur. Id, quod tunc temporis suspicabantur et abstractis ingenii inventis subindicabatur et argumentationibus subtilibus demonstrare studebant, idem hodie factis superstruere et pro rebus diligenter exploratis et e doctrinis secundum rectam ratiocinationem deductis aliis obtrudere cupiunt: imperium materiae in hominem ab omni dubitatione vindicare volunt et sub solida forma disciplinarum, in quibus firma argumentatio et demonstratio sita est, nobis ob oculos ponere student. — „Argumentum ex observatione deductum," — verba sunt physiologi Germani, qui philosophiam illam scriptis popularibus diffundere

studet, — „nemo effugere valet: factum ipsum dominatur. Olim sententiae fuerunt audacter prolatae, sine argumentatione; hodie istae praedictiones re ipsa complentur. Oculis nostris cernimus veritatem istius in Germania maxime tam abiectae et contemtae philosophiae, quae a materia nomen obtinet!"

Opinio eiusmodi, quae pugnat cum iis, quae a maxima orbis eruditi parte pro veris habentur, licet in medium proferatur a naturae scrutatore praestanti, facit ut suspicemur e rebus et phaenomenis, bene fortasse observatis, deducta esse corollaria falsa. Suspicionis autem illius veritatem docebit, puto, exploratio argumentorum, quibus ista philosophia superstruitur.

Haec autem, quum non systematis cuiusdam forma proponi soleat, ne exspectetis me de ea tanquam de disciplina, suis finibus probe circumscripta, loqui velle. Brevibus quibusdam sententiis primum res quasdam principes comprehendere lubet, quas, quum summa huius philosophiae placita referant, ad argumentationis in disciplinis naturalibus solitae leges tanquam ad amussim exigemus.

„Vires et materies," inquiunt, „a se invicem seiungi non possunt; neque vires sunt sine materie, neque materies est sine viribus; vires nihil sunt praeter materiae quamdam proprietatem. Leges, secundum quas natura agit, ac materies movetur, perpetuae sunt, non mutabiles. Necessitas dura, flecti nescia, omnibus rebus imperat; — altius quoddam imperium in mundum universum non datur."

„Materies sempiterna est et immortalis; unica res ex iis, quae ad nostram notitiam perveniunt, quae non pereat. Tota nostra vita, vita omnium corporum organicorum, omnis vita in hoc terrarum orbe et mundo universo hac nititur lege: materiem semper manere eandem, formam tamen eius perpetuo mutari."

„Homo effectus quidam est parentum, nutricum, — temporis, loci, — aëris, eiusque tempestatis, — soni et lucis, — alimenti, vestimenti."

„Eius voluntas effectus est causarum istarum omnium, e quibus totum dependet; vincta est lege naturae quadam, quam agnoscimus ex eius phaenomenis, quemadmodum planeta orbitae suae adstrictus est, planta solo."

„Eloquentia, orationis forma, experimenta et ratiocinium ipsis superstructum, bene facta, male facta, fortis animus et ignavia, omnia ista nihil sunt nisi naturae phaenomena, sunt effectus ineluctabiles pendentes tantummodo a causis necessariis, perinde ac circumvolutio terrae circa axin suam."

„Conscientia sui proprietas materiae est." — „Homo, dum cogitat, summa est suorum sensuum, sicuti res, quam observat, summa est proprietatum suarum." — „Cogitatio ipsa materiae motus est. — Omnes illae facultates, quas psychicas appellare soliti sumus, nihil aliud sunt nisi actiones substantiae cerebri, — vel, uti exempli loco dicunt, cogitationes nostrae eadem ratione tenentur cum cerebro, qua bilis cum iecinore, urina cum renibus."

Ecce! A. A.! quoad maxime potui ipsis verbis nonnullorum principum huius philosophiae fautorum summa eius doctrinae placita exposui, quippe iudicans ipsam orationem, qua traditur, characterem eius et indolem prodere. Videamus iam de placitis singulis!

Vires inhaerent materiae, — nulla materia sine viribus, vires nullae sine materia, — vires proprietates sunt materiae. En primum quoddam et princeps placitum!

Sensuum nostrorum ope observamus materiam, sed nisi ad hanc, sive perceptionem, sive observationem vocare lubeat, aliquid accedat, propter eam solam non licet nobis loqui de viribus illius materiae. Sed quando certis sub conditionibus phaenomena certa nobis obfert, tum demum de viribus materiae loquimur. Materias dunas simplices, in conditionibus debitis versantes, secum invicem coniungi videmus, ita ut proprietates singulis inhaerentes plus minus exuant, induant contra novas easque alienas a materiis illis, quae novam composuerint; et loquimur de viribus affinitatis, de viribus chemicis. Causa vero huius coniunctionis posita est in propria natura singularum materierum earumque indole, neque ultra progredi valemus in contemplatione, quae ad disciplinas naturales pertineat. Sed repraesentamus nobis causam huius phaenomeni commemorantes facultatem seu proprietatem materierum diversarum; quemadmodum causam casus vel pressionis corporum nobis repraesentamus commemorando vires attractionis vel gravitatis. Quicumque claras notiones mente sibi informaverit, numquam alia significatione illam vocem *vires* sumsit. Quodsi igitur eo sensu, quo res in disciplinis natura-

libus sumi solet, de viribus loquamur, profecto in errore essemus si cogitaremus aliquid quod pro lubitu tanquam de materie seiunctum et per se constans nobis fingere liceret; si alio modo id nobis repraesentaremus quam notionem aliquam abstractam. Pari iure possemus negare *vires* dari, sufficeretque loqui de materiis quae certis sub conditionibus effectus edant, qui effectus causam suam habeant positam in propria corporum indole. Philosophia illa igitur sine dubio verum videt, ubi materiem et vires nobis proponit arctissime secum invicem coniunctas, neque ullo modo divellendas, neque falsum est causam actionis alicuius, quae posita sit in propria natura diversarum materierum, harum proprietatem aliquam appellare. — Sed hoc placitum illorum philosophorum ulterius tendit. Nam basis est cui superstruunt doctrinam de animo hominis, materiae prorsus subiecto, et eo usque inde pergunt ut summum numen, quod hunc mundum creaverit, ex ipsa rerum natura tollant. „Quicumque" inquit Buchnerus, „loquuntur de mundi opifice sive de viribus creatricibus quae mundum ex se ipso, vel e nihilo effecerint, eos, nae! latet primum et simplicissimum fundamentum contemplationis naturae vere philosophicae et experientiae ipsi innixae."

Modus quo existat natura corporea homini aenigma est, quod solvere non valet. Homo igitur sentit necessitatem agnoscendi naturam aliquam excelsam, omnipotentem, e qua omne illud, quod intelligere et de quo claras notiones sibi mente informare numquam potuit, explicetur. Empirica naturae rerum investigatio non ducit hominem recta via eo, ut excelsiorem eiusmodi naturam agnoscat: sed quaerere licet, num evidenter demonstret, sensum quo propellimur ad agnoscendam potestatem materiae imperantem esse vanum, aut hunc prorsus cum sana ratione pugnare? Quaerere licet num id re ipsa sequatur e placito, vires vel facultates materiae coniunctas esse neque divelli ab ea posse, quia istae vires vel facultates non existunt per se, sed voce *vires* non nisi propriam quamdam conditionem materiae et propriam rationem, quae inter diversas materies intercedit, significamus? Minime! Ista conclusio non patet latius, quam quatenus pertinet ad rem quam explorare studemus. Quodsi philosophi nostri latius extendant illam conclusionem, discedunt de experientia, — quod si faciant, uti faciunt, quaerere licet, num nobis repraesentare valeamus materiem propriis facultatibus praeditam et inanimam, nisi assumamus potestatem supra eam posi-

tam eique imperantem? Nonne mens nostra facilius acquiescit assumta eiusmodi potestate, ad quam universae naturae contemplatione sponte ducimur, etiamsi eam non statim detegimus, ubi insistimus investigationis naturae viae empiricae?

Conclusio deducta e primo isto illius philosophiae placito arctissimo nexu tenetur cum altero, nempe cum eo, quo agnoscunt naturae leges stabiles, secundum quas materies moveatur et inde profluentem necessitatem, quae rebus omnibus imperet. Unde statim sequi putant, altius quoddam in res imperium cogitari non posse, adeoque nec dari in rerum natura. Vocabula igitur ista *naturae lex*, *naturae necessitas* magnas agunt partes in eorum naturae contemplatione. Quin partes, quas iis tribuunt, eiusmodi sunt, ut personas adeo agere videantur; quippe imperium naturae legum opponitur imperio sapientiae numinis summi.

Naturae scrutatores omnes agnoscunt leges naturae, ad quarum notitiam pervenerunt observatione et experimentis. Colligunt phaenomena singula et actiones singulares quam diligentissime, dum observant omnes conditiones externas, sub quibus cernuntur. Ut has conditiones cognoscant, phaenomena provocare student, experimentis persaepe et diversis modis factis. Quodsi ista ratione constantem cursum et conditiones necessarias phaenomeni alicuius detexerunt, loquuntur de naturae lege. Quod vocabulum igitur nihil aliud significat, praeter certam regulam secundum quam aliquid fiat in rerum natura. Iterata ista observatione eorum, quae fiunt secundum cursum constantem semel detectum, naturae scrutator pervenit ad conclusionem, cursum illum immutabilem esse, leges naturae esse stabiles, constantes, easque mutari non posse. Postremum hoc tamen, si diligenter perpendamus, non nisi hypothesis est. Quae quidem hypothesis veritati paene aequiparanda est, sed tamen eiusmodi, ut naturae scrutator numquam pro certo affirmare possit, nullam unquam naturae legem, quam vocat, aut olim mutatam esse aut in posterum mutatum iri; certe, si affirmet, ab ipsa observatione decedit, quippe quae cum loco, tum tempore est circumscripta. — Sed sumta illa immutabilitate et perpetua legum naturae constantia, quaerimus, num constans cursus et consecutio phaenomenorum in natura corporea excludat imperium illud et regimen numinis, ita ut cogitari non possit et pro re futili et inani reiiciendum sit? Concedamus

naturae scrutatori affirmationem aut negationem huius rei ab eius studiis esse alienam, non ideo concedimus id ab homine cogitari non posse, aut opinionem esse absurdam.

Naturae leges re vera existere a priori demonstrari non potest, idemque affirmari debet de materiae facultatibus; nexus inter utrasque multis nominibus obscurus dicendus est: illas certe in his fundatas esse ex nostra observatione certo demonstrari non potest. Mundi igitur rectorem, qui quemadmodum materiem creaverit, etiam naturae legum constantiam perpetuam, quam necessariam esse observatio docere numquam potest, stabiliverit, sumere, non solum licitum est, sed etiam, ut id faciamus, cogimur. Sapientia igitur sempiterna, quae leges, secundum quas omnia in rerum natura corporea fiunt, servat, non est res quaedam imaginaria, sed quae necessario ex disciplina naturali ipsa profluat; „Mundus", inquit Oerstedt, „regitur a sapientia sempiterna, quae actiones suas nobis prodit forma legum naturae constantium, immutabilium."

„Materia vero sempiterna est, immortalis, ea unica res est nobis cognita, quae non pereat." En! hoc porro nos docent.

Materiem vero semper fuisse aut semper fore ipsa observatione sciri non potest; ipsi enim observatores, ut id fieret, sempiterni esse deberent quod quidem de singulis affirmari non potest, sed neque de omnibus, quos naturam observavisse audivimus, coniunctis; nam naturae observatio, quae scriptis sit prodita, per pauca tantum saecula facta est.

Materies vero, — ita ratiocinantur nonnulli, — semper fuerit necesse est, quia materiem et vires a se seiunctas nobis repraesentare non possumus; quia, si materies creata esset, ante materiae ortum vires creatrices per se constantes sine materie sumimus, quod incongruum est, quia sumto nihilo, id est quiete, non convenit fingere facultatem exstare creatricem, quae ipsa esse nequit, quin agat, — id est, quin aliquid efficiat, seu creet.

Id profecto concedendum est, nos, utpote qui homines simus, non nobis mente informare posse notiones de rebus, quae intellectum hominis superant. Sed licetne ideo negare eiusmodi res re vera existere? Licetne negare rem, si sine praeiudicata opinione considerantibus necessitas eius sponte se nobis obfert? Quodsi enim cum iis ponamus materiem omni tempore fuisse, difficultatem in alium locum transferimus, — non tollimus —

transferimus autem tali ratione, ut intensius perquirentibus difficultas non minui, sed contra augeri videatur.

Geologica investigatio ostendit perspicue terrae, quam habitamus, evolutionem quamdam, qua ab informi materiae conditione incipiens, sensim transierit in eam conditionem, qua hodie eam conspicimus. Utrum inter diversas periodos evolutionis, quae distinguuntur, millia millium annorum, uti ponitur, lapsa sint, an vero dies solum unicus parum refert. Evolutio materiae demonstrata est, quam, si sumas, initium eius evolutionis aliquod agnoscis. Sive iam nescio quem immensum temporis tractum cogitatione retrogredi velis, retrogressi cogitare cogimur temporis punctum, quo huius evolutionis vestigium exstiterit nullum, — quo materies, quae sempiterna ponebatur, in quiete versaretur et sine actione esset, — aut certe quo materies versaretur in conditone, quam hodie nobis repraesentare non possumus, et quam physiologis, totam suam philosophiam ex observatione, uti ipsi affirmant, deducentibus, sumere non licet.

Itaque ista via pervenimus ad materiae conditionem, quae si nihil est supra materiem positum, uti contendunt, cum isto placito ipso adeo pugnat, ut cogitari omnino non possit.

Quaestio utrum argumenta idonea adferri possint pro creatione materiae ab creatore omnipotente nec ne, requireret, ut ei responderetur, disquisitionem utrum sit revelatio nec ne, quae ab ea, quae in naturae libro scripta sit, differat; quod quidem et huius orationis et vero meae facultatis limites superat. Sufficiat ostendisse ea argumenta, quibus philosophi illi utuntur, ut demonstrent materiem esse sempiternam, nec creatorem igitur mundi cogitari posse, esse infirma, disciplinas contra naturales argumenta praebere, quibus materiem, quae aliquando creata sit, ut ponamus invitamur, quin adeo cogimur.

Materies secundum hanc doctrinam semper fuit; — sed formae, inde natae coniunctione elementorum diversorum, — maxime formae vita praeditae, plantae, animalia, homo fueruntne item semper? — Id non affirmant, neque vero possint: pugnaret enim cum rebus quas docuit investigatio diligens geologorum et quas ipsi pro rebus factis amplectuntur. Sed quo modo philosophia illa iam sibi fingit primum illum ortum formarum organicarum, plantarum, animantium, hominis? — Praeter materiem suis

praeditam viribus nihil omnino est. Omnipotentiam creatricem isti philosophi dari negant. — Sitane igitur est in materie cum suis proprietatibus, in viribus mechanicis, physicis, chemicis, causa continens formationis primae corporum, individuorum organicorum? — Affirmant sitam esse! Sed quo iure quaerere licet!

In ea conditione, in qua hodie physiologia versatur, eo usque pervenimus investigatione debito modo, id est accurate et diligenter facta, ut in rerum natura, qualem nobis conspicere concessum est, certo cognoverimus motum perpetuum in orbem, circuitum omnino materiae. Plantae quae materiem, qua nutriantur, hauriunt e solo, in quo crescunt et ex aëre, qui ipsas circumdat, parant materies organicas, quae animalibus et homini alimento sint. Quae vero ex hominum et animalium corporibus egrediuntur materies, producta perpetuae mutationis materiae et instaurationis, itemque producta dissolutionis plantarum mortuarum, animalium et hominum cadaverum, — eae materies rursus plantis alimento sunt.

Perpetuo illo materiae motu ab anorganicis corporibus ad organica, ut redeant unde cursum inceperint, et ut per vias diversas idem rursus iter perficiant, vita in hoc terrarum orbe sustentatur, animalium vita cum vita plantarum, harum vita cum materiis anorganicis nexu tenetur indissolubili.

Verum res, quae maximi momenti est in contemplatione huius materiae circuitus, — haec est: planta non oritur e materia anorganica, animal non nascitur e planta, non homo ex animali; germen unde planta oritur non nisi e planta aliqua provenit; germen unde animans nascitur non nisi ex animali aliquo, — etiamsi verum sit plantam et animal non oriri sine materiae mutatione, non licet affirmare ea sola materiae mutatione oriri. — Nullum individuum organicum oritur sine parentibus, — quod si nimis affirmare videor, at certe, non sine materie organica. — Antea quidem apud naturae investigatores opinio fuit, etiam nunc primam quamdam formationem plantarum et animalculorum infimi ordinis fieri, quam tamen, si ponerent, at materiem organicam existere debere unde orerentur putarent; sed recentiores istam opinionem sensim dimiserunt, quum diligens rerum exploratio satis certo docuerit, ubicumque prima formatio e materia organica amorpha sumeretur, germina adfuisse plantarum vel

animalium. — Generatio per vicissitudinem, quam in nonnullis animalium speciebus inferiorum ordinum detexerunt, et IOHANNIS MÜLLERI inventum, qui evolutionem limacum in holothuriis, — utrumque animal ad longe dissitas familias pertinet, — observavit, possent fortasse argumento esse evolutionis per gradus organismorum diversorum, unius ex altero, sed neutiquam exempla obferunt ortus corporum organicorum e materie anorganica.

Materies cum suis proprietatibus hodie eadem est, quae initio rerum, nempe ea periodo temporis, qua certo ex geologicis investigationibus novimus, terram fuisse et qua circuitus materiae, quem paulo ante adumbravi, non exstitit. Itaque materia sola cum suis proprietatibus non sufficit, uti docent, ut ex anorganicis qualibuscumque organica corpora evolvantur. Indagatio causae ultimae istius evolutionis sine dubio extra fines sita est empiricae naturae investigationis. Quodsi tamen quaerimus quae illa causa sit, neque quidquam sumere velimus praeter materiem et eius vires mechanicas et physicas et chemicas, necessario perducimur ad conclusionem, causam primam omnis formationis organicae esse aenigma, quod solvere nullo modo valemus.

Sitne igitur absurdum, sicuti esse putant philosophi nostri, in prima illa formatione corporum organicorum pariter atque in prima omnis materiae formatione cernere velle vestigium creatoris omnipotentis, qui, ratione et via, quae nostrae mentis intelligentiam superet quae proinde supra investigationem naturae humanae posita sit, omnem illam varietatem plantarum et animalium protulerit? Utrum vero hac in re statuere debeamus directam actionem creatoris, an indirectam, an sumere sensim procedentem evolutionem animalium et plantarum quaestio est, quae extra argumentum, quod tractandum mihi sumsi, est posita.

Quodsi disciplina physica, uti decet, modeste loquatur, neque verbis et vocibus ignorantiam suam praetexere studeat, fateatur necesse est, ortum materiae, principium hodiernae universi conditionis res incognitas sibi esse: — verum esse, se sedula perscrutatione cognovisse evolutionem sensim procedentem in materie e qua res formatae sint, — quae tamen evolutio ipsa pluribus locis profunda caligine obtegitur, — sed tandem se perscrutando pervenire ad eiusmodi materiae conditionem quae ex anteriore aliqua deduci

minime possit. Quotiescumque disciplina physica conatur transgredi limites suae ditionis, pervenit ad hypotheses, quin ad hypotheses et vanas et inutiles, quae ad evidentiam nos perducere neutiquam possint, vel ea sola de causa, quod quum eo pervenerit quo diximus, in materiae contemplatione notio sempiterni cuiusdam cum eius notione cohaeret. Cuiusmodi notio sive eam de materie, sive de rebus metaphysicis mente nobis informare velimus, in hac, quippe finibus suis circumscripta, ad claram aliquam lucem evehi non potest, sed tandem illi nolenti volenti sese obtrudit. Sive iam materiem, quae semper fuerit, cogitemus, sive formas plantarum et animantium habeamus effectus materierum sese mutuo afficientium sub conditionibus, quae hodie non amplius sint, neque agant, sive nobis fingamus earum creationem, — nihil refert ad ipsam naturae investigationem, sed prorsus falsum est, contendere, nostram de materie scientiam extra omnem dubitationem ponere, eam semper fuisse, et naturae investigationem nostram spontaneam evolutionem quamdam primam organismorum ita docere, ut haec res omni dubio maior habenda sit. Est quidém hoc mendacium, quod pro veritate nobis obtrudere cupit illa philosophia et quo minime demonstrato, quum neo demonstrari queat, negat esse numen altioris ordinis supra materiem positum, quod omnes res sustentet. — Eiusmodi numen existere non est res ab omni parte certa demonstratione evicta in disciplinis physicis. — Id credere, non scire nobis datur. — Sed opinio est, quae innumeris rebus observatis tantopere firmatur potius quam refellitur, ut ad rei demonstratae dignitatem et veritatem accedat. Ista sive opinio, sive fides aequat temporum ratione historiam generis humani, neque deëst ulli vel leviter cultae hominum genti, utut forma eius apud alias aliasque diversa est; nobis quasi innata est eamque ad naturae investigationem accedentes sponte adferimus; sed non nobis facultatem demit seriae investigationis; testes rei sunt insignis eximiorum physiologorum numerus; — quin ista fides investigationem nostram evehit ad dignitatem maiorem, quum per eam nimius amor sui in homine comprimatur. — Creator et sustentator mundi, quem philosophia illa superba respuit, investigatori naturae a praeiudicatis opinionibus liberiori se obfert in quovis phaenomeno, modo ne singulatim res perquirens obliviscatur rerum universi, nec partium particulas considerans immemor sit nexus, quo cunctae secum invicem coniunguntur.

Verum iam nos convertamus ad ea, quae philosophia illa nos docet de homine ratione praedito, quem e corpore et animo constare putare solemus, — quem tum corporis fabrica, tum praestantia psyches prae reliquis animantibus excellere credimus et cuius corpus novimus subiectum esse universali isti materierum circuitui, ita ut partim dum vivit, sed multo magis post mortem, fons fiat novae vitae plantis et animalibus, — dum spem fovemus et confidimus animum nostrum esse immortalem.

Principio orationis ipsis istorum philosophorum verbis summam eorum de hac re doctrinae vobis aperui. Aliis verbis ut utar, nos docent psychicas in homine actiones non pendere ab altiore quodam principio in homine sito, — eiusmodi quid in homine non dari, — quod autem eo pertinere vulgo opinentur, non esse nisi effectum actionum materiae, qui non solum per has locum habeat, sed ab iis producitur, quam productionem a rebus cum internis tum externis pendere, et perinde atque actionem organorum reliquorum fieri secundum certas ac definitas naturae leges.

Ut iam discernamus quatenus disciplinis physicis secundum solitam in ipsis argumentandi viam, ius competat actionem psyches et actionem cerebri non diversas res sed unam eandemque habendi, — negandi cerebrum esse tantum organon altioris cuiusdam principii, quod psychen vocare solemus, primum sciendum est, quid de cerebro eiusque cum psychica facultate nexu noverimus.

Anatomia comparata docet in diversis animalium classibus actiones psychicas eo magis vigere et multifarias esse, quo magis cerebrum sit evolutum, quo magis quidem hemisphaeriae cerebri cerebellum contegentia in posteriorem partem prominent. In homine, in quo hae actiones maxime elucent, cerebrum habere fabricam eiusmodi, ut gyri organi sint multo magis compositi, numerosi, irregulares, quam in animali alio quovis, etiam intellectus facultate prae reliquis excellente.

Quod attinet ad magnitudinem cerebri hominis, ex permultis observationibus liquet, solitum eius pondus esse trium librarum vel trium cum semisse; sed adnotarunt cerebrum illustrissimi Cuvierii quatuor libras pondere superavisse; dum pondus cerebri atrophici facti poëtae celeberrimi Lenavii, qui post mentis perturbationum stupidus obiit, vix duarum erat librarum.

Secundum Peacockii observationes cerebrum hominis usque ad aetatis annum vicesimum quintum pondere increscit, — dein idem pondus ei manet ad annum quinquagesimum vitae, — in decrepita vero aetate insigniter imminuitur.

De forma cerebri tantum affirmare licet, maiorem amplitudinem partis frontalis, gyros numerosos et non regulares, maxime si coniuncta ista observentur, connexa esse solere cum maiore facultatum psychicarum explicatione. De subtilioris structurae organi connexione cum functionibus psychicis id tantum novimus, cerebrum constare e fibris diversissimis et maxime variis modis se invicem decussantibus et e gangliis, quae vocari solent; — et substantiam griseam organi, his gangliis abundantem, apud infantes minore copia cerni et fibrosam structuram apud hos minus facile observari quam in adultis. Quod de nexu inter chemicam compositionem organi et actionem psychicam novimus, vix operae pretium est in hac quaestione computare: scimus solum in cerebro inesse corpora chemica peculiaria, *cerebrinum* et *lecithinum* vocarunt, cum corporibus pinguibus phosphorum continentibus, de quibus, — auctore Bibra, — constare aiunt, ea in cerebro animalium altioris ordinis maiore copia inveniri, quam ordinum inferiorum.

Quae novimus de ratione mutationes cerebri pathologicas inter et actionem psychicam maioris sunt ponderis et auctoritatis; pathologia de hac re multa observata possidet: — nimis vehemens sanguinis ad caput congestio vertiginem adducit et mentis obfuscationem, quin saepe tollit omnem conscientiam sui et actionem psychicam qualemcunque. Similes effectus cernuntur a copiae sanguinis in cerebro magna deminutione, veluti in haemorrhagiis vehementibus.

Post morbos psychicos, quos vocant, in cadaverum sectionibus tam frequenter apparent mutationes morbosae substantiae cerebri vel eius membranarum, ut per analogiam ad earum praesentiam concludamus vel iis in casibus, in quibus non manifesto ostendi possunt. Sic Fischerus Pragae in trecentis et duodeviginti cadaveribus mente captorum triginta duos tantum casus observavit, in quibus nulla apparuerit mutatio sive cerebri, sive eius meningum.

Porro notissima res est in profundius sitis vallibus montium maiorum

haberi nonnullos incolas, qui paene animalibus potius quam hominibus similes, vitio congenito, cerebrum habent, quod debitum in modum non sit evolutum.

Ecce! enumeravi observationes aliquot, quae licet non omnes eiusdem momenti sint, tamen certo docent, non solum cerebrum universe esse sedem actionis psychicae, sed etiam arctum inter partem illam et actionem psychicam nexum esse, sanum cerebrum requiri ut psychicae actiones vigeant; esse necessitudinem quandam inter magnitudinem, formam et compositionem cerebri et functionem psyches: nec tamen plura hoc modo docemur. Philosophia illa tamen ultra procedit; nobis refert ex eiusmodi observatis patere, magnitudinem, formam et compositionem cerebri contineri ratione directa cum magnitudine, intensione facultatis psychicae. Sed talia ex illis efficere non licet, si quid verum sit quaeramus; minime vero licet in re tam obscura et controversiis multis agitata. Sed ponamus investigationes nostras iam eo pervenisse, ut tale quid inde efficere liceat, vel si mavis ratiocinio analogico nos ad talem conclusionem perduci, potestne ideo concludi, quod philosophi nostri volunt, cerebrum non solum esse organon principii altioris naturae per ipsum actionem suam manifestantis, quod psychen appellamus, — sed cerebrum et psychen unam esse et eandem rem? —

Concedo eos plura adferre, quibus thesin suam probent, quae nec silentio omnia praeterire licet. Provocant ad effectum a nonnullis formis actionis psychicae in partes diversas corporis, ad pallorem e terrore, ad ardorem faciei in ira, ad ruborem per vultum in pudore suffusum, ad animi pathemata multifaria, quae mutare valent indolem lactis materni, caet.

Causa horum phaenomenorum omnium sine dubio sita est in nervis partium ita affectarum, qui magis minusve e directo cohaerent cum cerebro. Quid iam fiat in cerebro in animi affectu et in quacumque actione mentali prorsus nos latet; sed phaenomena mox enumerata certo docent cerebrum in his animi affectibus moveri et simul origines certorum nervorum irritari. Verum quaerimus, sitne hoc documento, cerebrum et psychen unam eandemque rem esse? Minime quidem! non magis ac motus, quem manus perficit, ut rem, quam video, prehendam, in quo motu voluntas id faciendi conditionem provocat in cerebro, quam irritatio nervorum motoriorum brachii sequitur.

Quodsi, — ita porro loquuntur, — propter intensum mentis laborem fames et, uti nonnulli observaverunt, maior animalis caloris gradus oritur, quod solum e materiae mutatione maiore explicari potest, id documento est maiora illa corporis materiae dispendia ex actione cerebri proficisci, — cogitationem igitur esse materiae motum, mutationem ergo substantiae cerebri.

In mentis contentione cerebrum moveri, negabit nemo; actionem partis corporis cuiuscumque secum coniunctam habere materiae mutationem res est notissima; idem etiam in cerebro fieri, — id unum ex ista observatione constat. Cogitationem igitur cum materiae motu, cum permutatione materiae in cerebro esse coniunctam, inde tantum sequitur; sed ipsam cogitationem nihil esse praeter materiae motum, inde deduci legitime nequit.

Nonnulli paululum iactanter memorant experimenta Flourensii, ut hypothesin suam firment. Hic nempe observavit, si in avibus per strata cerebri substantia tollatur, per gradus evanescere facultates psychicas, donec, toto cerebro sublato, omnis facultas perceptionis corporeae pereat et animalia sine motu maneant, quo facto tamen per plures menses earum vita alimentis, artificio ingestis, sustentari possit. „Quid", inquit Buchnerus, „ultra requiris in demonstratione psychen et cerebrum unam eandemque rem esse, si re ipsa cultro partes singulas animi praecidere et tollere detur?"

Vix opus erit, ut moneam, ex eiusmodi experimentis legitimas in hac re conclusiones deduci non posse, aut ut moneam eiusmodi experimenta in animalibus facta non ex toto ad hominem transferri posse. Sed ponamus eodem eventu ea in homine ipso fuisse facta, demonstrarent tamen id unum tantum, arctum esse vinculum inter cerebrum et actionem psychicam, — corpus hominis vel cerebro sublato vitam plantarum vitae similem posse agere, sed neque experimento eiusmodi, neque ullo alio eo pertinente demonstraveris certo psychen et cerebrum idem esse.

Si libere, sine praeiudicatis opinionibus res reputent, fateri debent physiologi, se de animi essentia nihil quidquam nos docere posse. Nec mirum! fons praecipuus investigationis physiologicae hic paene ex toto praeclusus est, experimentum nempe, cuius ope quodcunque in hac re observatione constat veluti ad amussim exigi possit. Praeterea campus iste, in quo actionem suam ostendit, terra plane incognita habenda est.

Ipse VOGTIUS, prae multis huius doctrinae antistes, testatur: „nos plane nescire qua ratione materies nervorum agat, — quatenus nos observemus, principium actionis, quod per totum organismum pateat, omnes eius motus ordinet, omnes perceptiones colligat, in perpetua esse quiete et stabilitate. Nullam observare possumus mutationem in fibrillis nervorum, sive agant, sive quiescant. — Scientia nostra structurae cerebri perexigua est; — cognovimus formas quasdam externas in mole materiae, de structura penitiore, de elementis organicis partis vix quidquam didicimus."

In tam exigua copia instrumentorum cognoscendi conclusio, quae satisfaciat postulatis disciplinae accuratae, deduci nequit, nec physiologia de ea re quidquam affirmare potest; nam quamdiu modus incognitus est, quo cogitationes fiant, duae res accidere possunt, — nempe, ut aut psyche omnino existat, quae a cerebro seiuncta sit; — aut cogitatio et omnis psyches actio non nisi cerebri functio sit. Et tamen illi certo hic pronunciare audent, ita ut quaeras, num obliti sint superbi dicti sui: „argumentum ex observatione ductum neminem effugere posse, ipsam rem factam hic dominari!" Videntur omnino! Sed est consequentia necessaria principiorum positorum: vires et materies a se invicem seiungi non possunt, — vires non sunt nisi proprietates materiae. Ista placita, quae tendunt in negationem numinis supra materiem positi, etiam perducere debent ad negationem altioris cuiusdam in homine principii a materie separati, et *hic* quoque philosophi illi, certam demonstrationem postulantes, aut *iactantes*, ad fidem suis verbis habendam demittunt suos discipulos.

Cum doctrina de animo et corpore unum quid efficientibus, non divellendum, — tum doctrina de psyche per se constante, si censeantur ad normam disciplinarum physicarum, hypotheses sunt: sed philosophi illi suam hypothesin veritatem esse iactant. Nullus autem eorum adversarius, qui non plane rudis sit in naturae investigatione, defendet doctrinam de animo per se constante habendam esse veritatem ex eiusmodi investigatione deductam, — etiamsi alia via, quam naturae revelatione, ad firmam fidem ei habendam pervenerit.

Quodsi igitur cognitio compositionis et functionis cerebri, — quodsi investigatio physiologica coniuncta cum iis quae docuit anatomia et physiologia comparata non ducat ad evidentiam in his rebus, quaerere posse-

mus, num forte contemplatio psychicarum functionum ipsarum rem magis illustrare posset; sed responsio ad hanc quaestionem, quae opinionem de psyche per se constante multum confirmaret, posita est extra limites, intra quos me continere decrevi. Superest ut brevi dicam de effectu, quem philosophia illa si latius serpat in generis humani societatem ederet; quem quidem noxium fore iam antea dixi.

Non opus est ut psychologiam illorum, quatenus de ea exposuerunt, tradam. Unum quid caput rei est, ubi de istius doctrinae efficacia loquimur, nempe omnem actionem psychicam non esse, nisi actionem mutuam materierum necessitate coactarum et ex legibus chemicis et physicis pendentium. Brevi: homo machina est, licet machina sentiens, idearum suarum conscia, cogitans, sed machina tamen, quae a rebus internis pariter et externis ita dependet et ab his regitur, ut arbitrii, quod liberum vocare solemus, in homine et voluntatis ne vestigium quidem relinquatur. „Actiones hominum," inquit VOGTIUS, „non sunt nisi effectus nutritionis et materiae mutationis in cerebro, ipso illo, quo quis aliquid agat, momento."

In credita hac necessitate actionis psyches, qua hominis arbitrium, uti ipse VOGTIUS concludit, ab omni culpa vacuum ponitur et sponte sua quidquam faciendi facultas homini eximitur, ubi cum conscientia sui aliquid agit, sita est, ut plane dicam, pestis huius philosophiae.

Si naturae necessitas illa in hac re existeret, — si principia prima illius philosophiae vera essent, — non liceret loqui de noxia vi huius doctrinae; sed tum quoque res esset et inutilis et supervacanea cum eam defendere, tum eam oppugnare. Utrumque tamen fit, et hoc ipsum ei adversatur; nec minus adversatur interna pugna, quae cernitur in illa, quum ipso illo tempore, quo liberam qualemcunque psyches actionem negat, libertatem sibi exposcat et libertatis causa scilicet omnem auctoritatem civitatis et ecclesiae oppugnet. Quodsi, uti illi philosophi volunt, homo nulla libertate gaudet, nullo non tempore viribus externis regitur, quocumque nomine eas appellare lubeat. Si singuli homines non sunt, nisi id quod a parentibus, nutricibus, — locis, temporibus, — aëre et eius tempestate, — sono et luce, — alimento, vestimento efficitur, — nemo quisquam alio modo, quam mutatione facta in actione virium illarum, liberari potest ab ea fide, quam illi superstitionem esse putant. Nec tamen hodierni philo-

sophi illius scholae perinde atque eiusdem asseclae fecerunt, qui olim fuerunt, desinunt palam praedicare novam suam doctrinam referre mundi theoriam, quam euangelii instar hominibus obtrudunt, ut ab omni superstitione liberentur, ut ad novam vitam perducantur, — ut beatorum chori vitam in hoc terrarum orbe degant. — Sed qui fieri poterit, ut homo eam doctrinam intelligat, aestimet, ei obsequatur? Nonne in eo, quod philosophi nostri ab hominis voluntate flagitant, ipsi indicium nobis praebent, se suorum placitorum esse immemores, philosophiamque suam effectum posse edere perniciosum, quem ex suis argumentandi principiis debent negare. Necessario iste effectus pendebit a flumine opinionum quibus certo tempore homines addicti sunt. Quodsi flumen illud, ut ita dicam, versus eiusmodi philosophiam tendat, habebit facile discipulos. Plebs quaedam credula, certis ratiocinandi principiis carens, facile naturae necessitatem amplectens, tamen praecepta illius philosophiae, liberorum hominum instar, in vitam transferet et, ubi aut sibi, aut aliis nocere potuerit, inde excusationem petet, quod quae fecerit, vi coacta fecerit; praecepta moralia qualiacunque negligi poterunt, sicubi aut hominum intersit, aut iis lubeat, et tamen se culpa vacuos iudicabunt.

Praeterea non magni pretii habenda sunt praecepta moralia secundum hanc philosophiam: audiamus enim eius responsa.

Furta vetantur! Res nullius momenti est; nam apud plures gentes furtum virtutis loco habetur et pauper, qui de ditiore aliquid furatur, non vult iniuria hunc afficere, sed ius suum tantum sibi vindicat, quum omnibus pariter bonis, quae mundus obfert, uti liceat et possessio communis omnium sint.

Adulterium nefas habetur! Sed matrimonium fortuita et humana institutio est, et praecepta moralia matrimonium spectantia arbitraria sunt et talia ut conscientia raro iis adstricta videatur. Et summum religionis Christianae praeceptum: *inimicos etiam caros habendi*, — philosophis illis non aliud quid est nisi praeceptum perridiculum, quod omni sensui homini insito adversetur. Qui re ipsa ipse obediret et alii, ut obsequerentur eiusmodi praecepto vellet, eum nae! aut furentem, aut mente captum habere oporteret.

Eiusmodi doctrinam Germani nonnulli latius latiusque spargere per populum student editis hunc in finem libris, ad vulgi captum accommodatis,

quibus illa philosophia adumbretur. Argumenta autem sunt eiusmodi, uti sponte intelligimus, ut principia unde argumentatio deducitur et huius ipsius filum non solum ab imperita plebe, sed etiam a cultioribus saepe percipi non possint; sed simul quae e principiis illis deducuntur sub forma placitorum oratione splendentium alliciunt homines et fidem sibi conciliant, quia venditantur pro maturrimis accuratissimae doctrinae fructibus. Et ecce! quare philosophandi ratio illa hoc tempore plus periculi habeat, quam sub finem superioris saeculi: nempe se inniti gloriatur disciplinis physicis. Magni hodie aestimantur illae disciplinae; forte quia tantam habent efficaciam in rebus hominum singulorum et civitatum. — Saepe quae in iis traduntur pro divinis oraculis habentur. Quodsi iam ista philosophia sua placita diffundere studet sub titulo corollariorum e naturae contemplatione deductorum, quaerimus num vere perniciosam illam esse dixerimus, nec ne.

Quid fieret in civitate, si apud cives omnes valeret et agendi norma esset doctrina eiusmodi quae doceat virtutes, vitia, continentiam, libidinem nihil aliud esse nisi sequelas ineluctabiles conditionis cerebri, quae a causis externis ex toto pendeat? quae doceat hominem numquam culpari posse, quodcumque sive agat, sive negligat? — Talem civitatem ne cogitare quidem sine horrore possumus; perturbatio esset perpetua vinculorum omnium, quibus homines inter se continentur; — religio et morum probitas ex ea exularent; cuivis libidini, quibusvis cupiditatibus indulgeretur, — ipsa civitas esset sine humanitate; non hominum sed brutorum convictus quidam nasceretur, ipsa civitas periret.

Si progressus facti in disciplinis naturalibus tali modo ad vitam hominum transferuntur, affirmare non licet eorum studia ad intellectum roborandum, ad ingenium excolendum, ad amplificandam salutem hominum valere, sed fatendum est, eas hominibus opprobrio simul esse et exitio!

Superest A. A.! ut brevi commemorem Academiae fata superioris anni. Cuius universum decursum si respiciam, puto eum inter faustos esse numerandum. Multa sane bona ei acciderunt, sed, ut fit in rebus humanis, bona ista minus optabilibus rebus, quae nonnullis acciderunt, fuerunt permista.

Ut primum de subsidiis institutionis videamus, haec respiciens, fere repetere possim quaerelas, tam saepe iam prolatas, ea non satis magna esse, ut sufficiant iis, quae in instituto, quale nostra Academia est, requiruntur. Si ea quae possidemus, conservare valemus, at de amplificatione vix sermo esse potest. Sed possim videri iniuste reprehendere, de his rebus amplis verbis monendo, quum si id de hoc loco faciam fortasse viderer carpere viros illustres Academiae curatores, a cuiusmodi re quidem animus maxime alienus est meus. Quae nempe ex aerario publico collectionibus qualibuscumque Academiae tribuuntur, quaeque perexigua sunt, aucta esse novimus indefesso vestro erga Academiam studio, quod vos impulit ut a Ministro Regio peteretis iterum iterumque subsidiorum augmentum, quod tandem concessum est, et quo factum est, ut parva pecunia, quae Bibliothecae ad libros coëmendos destinatur, aliquantum certe creverit et fieri potuerit ut e pretiosa collectione ad historiam naturalem pertinente, quam Clarissimus Nicolaus de Fremery collegerat et e collectione nuper defuncti, dexterrimi, eruditissimique prosectoris Academiae Ultraiectinae Schubartii multae res emerentur, praesertim ad anatomen comparatam spectantes. Ita locupletatum est Museum nostrum Historiae naturalis e priore collectione multis sceletis animalium nitidissimis et praeparationibus arte iniectis; ex altera collectione praeter praeparationes vertebratorum, multis speciminibus anatomicis artificiose confectis animalium non vertebratorum, nempe *Limacis cinerei* et *variabilis*, *dytisci marginalis* et multis aliis, quae omnia enumerare nimis longum esset. Reliquae collectiones instrumentorum physicorum, chemicorum, chirurgicorum et ad artem obstetriciam pertinentium, — museum anatomicum, hortus botanicus potuerunt servari in tali conditione ut ad institutionem idonea habenda sint; augeri, ditari non multum potuerunt.

Assiduis curis Viri Clarissimi, qui Bibliothecae praeest, nova dispositio librorum eius paene ad finem perducta est. Quo facto facilior erit conspectus thesauri, quem possidet, adeoque usus eius multo latius patebit. Gratias debitas agimus Viro Clarissimo Enschedé pro diligentia qua has res administravit, omniaque fausta illi in hoc labore optamus.

Praeterquam emtione librorum novorum, de qua iam supra locuti sumus, bibliotheca locupletata est donis, tum professorum, etiam eorum, qui illo munere non amplius in hac Academia funguntur, tum aliorum.

Res Academiae utilis haec quoque contigit ut ex aerario publico pecunia ei praeberetur, destinata adiuvandis studiis iuvenum, qui alieno subsidio carere non possunt. Quae res eo gratior accidit, quia examine instituto eorum, qui auxilium eiusmodi sibi petiverunt, constitit, academiam e pecunia a professoribus aliisque collata satisfacere non posse iusto desiderio eorum, qui dignos se praestiterant, quorum studiis tali ratione subveniretur. Senatus hac re observata, misit epistolam ad Ministrum Regium, qui rebus internis Regni prospicit. Quae non frustra, quod gaudemus, missa fuit.

In vos intuentes, Viri Amplissimi! Academiae Curatores! gaudemus vos omnes salvos esse et pergere potuisse in curandis rebus Academiae. Praeter alia gravia, hoc anno hoc officio vobis fungendum fuit, ut duabus cathedris vacantibus evocaretis eruditos, qui professoris munus in se susciperent. — Nemo iam negabit vos isto officio ita esse functos, ut Academia uberrimos fructus capiat, et diu, ut speramus, captura sit e vestro delectu. — Quam porro Academiam curae habeatis, quantopere tum Academiam, tum professores diligatis, testatur vocatio professoris extraordinarii in facultatem iuridicam, quam vos Augustissimo Regi suasistis, et ab eo, ut fieri liceret, petivistis. Quo consentiente Vir Clarissimus VAN BONEVAL FAURE hoc est ornatus, quem collegam iam salutare licet.

Maxime tua causa, aestumatissime NIENHUIS! discipulus olim tuus vocatus huc est. Adhuc iuvenili mentis vigore et amore iuvenili operam navare pergis studiis, in quibus vitae tabernaculum dudum posuisti, — minus gratum quid inesse potest in sensu, corpus citius interdum quam animum labefactari, sed paucis conceditur integras utriusque vires ad extremam usque senectutem servare. Ultra triginta annos munere tuo in hac Academia functus insigni illi ornamento eras, — paucis annis tempus a lege quieti destinatum tibi aderit. Serva non solum ad illud usque tempus, sed multis etiam annis insuper, qua frueris, sanitatem, quae facit, ut adhuc debito modo munere tuo fungi tibi liceat!

Nemo professorum quacumque de causa hoc anno Academiae ereptus est; utraque cathedra, discedentibus superiore anno duobus collegis, vacua facta, iam rursus occupata est. Fere omnes usi sunt sanitate,

quae faceret ut lectiones interrumpere non cogerentur. Aestumatissimo nostro collegae PAREAU non ex toto illa bona valetudo per totum annum contigit. Etiamsi per ferias aestivas multum convalescerit, iterum tamen impeditur quominus lectiones suas habeat. Brevi ad sanitatis integritatem restituatur et corporis et mentis viribus vigens festum diem, qui iamiam ei adfuturus est, celebrare illi contingat, quo per lustrum integrum munere suo in hac Academia functus erit, — diu servetur suis, nobis, Academiae, Ecclesiae a Deo optimo maximo precamur.

Vobis collegae carissimi, HECKER, FRANCKEN et VAN BONEVAL FAURE, quos Senatus nomine salutare munus vestrum adeuntes rectori mihi contigit, hodie gratulor iam partem huius anni in munere Academico consumtam. Iam supra dixi, laborem vestrum Academiae profuturum. Id ipsi ut sentiatis aliquando vobis exopto et sit iste sensus vobis in prosperis rebus felicitatis incremento, in rebus adversis, quas Deus avertat, solatio.

Licet nemo hodiernorum professorum Academiae ereptus sit, mentio tamen facienda est mortis Viri Clarissimi, qui pluribus annis ante professorio munere in universitate Groningana est functus.

Sentitis me cogitare SEERPIUM BROUWER, qui anno vicesimo tertio huius saeculi professorium munus adiit, habita oratione: *„de matheseos utilitate universa praecipue ad patriae nostrae commoda,"* — et e cuius indefesso labore et magna eruditione usque ad annum trigesimum quintum fructus cepit Academia. Quo tempore valedixit ei et privatus vixit, donec delegatus ex ordinibus Provinciae Frisiae Hagae comitum ordinibus generalibus adscriptus patriae commodis inservire alio quam antea modo coepit, quod quum aliquamdiu fecisset, ad vitam privatam rediit, in qua studia sua numquam neglexit, sed ea colere non desiit. Qui olim discipuli, collegae erant amicum pie recordantur virum vere praestantem; cui utinam terra levis sit!

Dolorem vestrum innovare paene vereor, cum vos alloquor, quibus pallida mors cara vobis capita abstulit.

Tu, amicissime VAN DEEN, adhuc mortem luges socrus carae.

Tu, Nobilissime DE VOS VAN STEENWIJK, desideras carissimum filium, in hac Universitate iuris studiosum, tibi, amicisque suis longo morbo ereptum. Acerbus casus tibi dolori fuit, eiusque doloris nos quoque partem certe

sensimus. Tempus eiusmodi dolorem non tollit, sed lenire saltem solet, quod ut tibi quoque contingat optamus. Id si factum fuerit, recordatio eius filii tibi fiet, spero, iucunda, eumque tibi repraesentabis qualis in hac terra fuerit, et agnosces eum ad beatiorem sortem evocatum fuisse a summo rerum omnium Moderatore, in cuius decretis acquiescens bene cum eo actum esse confides.

Tu quoque lugubri rursus veste indutus es, amice collega VAN HALL. Brevi temporis intervallo duo tibi liberi sublati fuerunt. Adhuc lugenti mortem filii natu minimi mors sustulit tibi, uxori, familiae tuae tuam filiam carissimam. Cuius animus non commovebatur isto nuntio? Novimus te non dolorem fovere ut illi, quibus spes nulla supersit; non potuit non cogitatio tuum animum subire, corpus mortale tantum exstinctum et terrae mandatum esse, superesse neque unquam exstinctum iri animum immortalem. Haec reputans et Numen sine quo nihil nobis contingit, suspiciens, fateris quae a Deo nobis accidunt bona esse, quamvis acerba videantur.

Quid tibi dicam, HECKERE! Anno ante ipsum hunc diem in urbe dirus grassabatur morbus, qui eodem paene tempore ambos tuos quoque liberos prehendit. Post paucos breves dies, sed qui prae metu longi tibi facti fuerint, reditu ad sanitatem filiolae tuae gaudebas, sed gaudium illud brevi exstinguebatur paene insigni dolore, quem filii tui obitus tibi attulit. Nemo fuit, quem non miseruit tristis fati; sed quod lenimentum, — etiamsi nullum id esse non affirmabis, — quod, inquam, lenimentum est tanti doloris in amicorum commiseratione? — Quum brevi post vocareris ad munus, quo iam fungeris, laetitia de munere tibi mandato fere obtundebatur dolore e malo quod nuperrime perpessus eras et tamen ipsum illud munus, ad studia tua sponte te revocando, avocavit mentem a tristitia, qua ne opprimereris fere metuimus. — Avertantur in posterum, ex animo id exopto, a te, a vobis omnibus tam acerbi casus et vitam securam et quietam in posterum agatis!

Tandem ad vos me converto, Iuvenes ornatissimi, huius Academiae alumni!

Iam memoravi gravem luctum, quo hoc anno afflicti fuistis morte unius vestrorum commilitonum. Inter vos tot intercedunt communia, quae vinculorum instar sunt, quibus inter vos coniungimini ut omnes sentiatis, si

cui quid triste accidat. Quo igitur animo estis, quum iuvenili vestra aetate aliquis e numero vestro diem suum postremum obit! E casibus eiusmodi sane illud: *memento mori*, obstrepit, quae vox nos exhortatur ad rectum vitae usum, quamdiu áura vesci nobis contingit.

Nonnulli vestrum morbo, qui nuperrime demum in urbe grassari desiit, fuerunt afflicti sed, quamvis graviter affecti, convaluerunt tamen. Gratulamur vobis convalescentiam istam et laetamur salvos eos esse redditos suis, Academiae, civitati!

Lubens testor rectori mihi nihil a vobis contigisse, quod potuisset esse ingratum; neque alia ratione vosmet ipsos mihi praebuistis quam quales rectoratum adiens mihi optaveram. Quin sunt facta a vobis talia, quae boni omnes in vobis ultro laudant, maxime coniuncta cum novitiorum aditu ad Academiam. Recte id certo effecistis, ut iam nihil sit, quod studia eorum aliquamdiu impediat, — quod quum sustulistis, monstravistis, Academiae salutem vobis omnibus esse caram. Quod ut magis magisque etiam pateat ex ardore, quo studiis vestris operam navare pergatis, vehementer exopto. Ita enim et Academiae hoc tempore et in posterum patriae nostrae universae ornamento eritis!

Iamque munus annuum trado Rectori magnifico in annum proximum a Rege augustissimo creato, — tibi PETRE IOHANNES VAN KERCKHOFF. Salve Vir Clarissime! Iam Rector magnifice! Munus tuum non maiores molestias, nec minorem voluptatem tibi adferat, quam attulit mihi. Sit annus rectoratus tui faustus Academiae, sit faustus tibi, a Deo precamur.

DIXI.

HET
STAATSLEVEN DER VOLKEN,

ALS VOORTGAANDE ONTWIKKELING VAN DEN MENSCHELIJKEN GEEST BESCHOUWD.

REDEVOERING

TER AANVAARDING VAN HET HOOGLEERAARSAMBT
AAN DE HOOGESCHOOL TE GRONINGEN,

DEN 20STEN DECEMBER 1855,

UITGESPROKEN

DOOR

DR. W. HECKER.

EDELGROOTACHTBARE HEEREN, CURATOREN DER GRONINGSCHE HOOGESCHOOL,

WELEDELGESTRENGE HEER, SECRETARIS VAN HET COLLEGIE VAN CURATOREN,

HOOGGELEERDE HEEREN, RECTOR MAGNIFICUS EN VERDERE HOOGLEERAREN IN DE VERSCHILLENDE VAKKEN VAN WETENSCHAP, ZEER GEACHTE AMBTGENOOTEN,

EDELACHTBARE HEEREN, AAN WIE HET BESTUUR VAN DIT GEWEST EN VAN DEZE STAD EN DE HANDHAVING DES RECHTS IS TOEVERTROUWD,

WELEERWAARDE HEEREN, LEERAREN DER GODSDIENST,

WELEDELE ZEER GELEERDE HEEREN, DOCTOREN IN DE VERSCHILLENDE FACULTEITEN,

AANZIENLIJKE SCHARE VAN JONGELINGEN, DIE AAN DEZE HOOGESCHOOL DE WETENSCHAPPEN BEOEFENT,

GIJ ALLEN VOORTS, VAN WAT RANG OF STAND, DIE DEZE PLECHTIGHEID MET UWE TEGENWOORDIGHEID VEREERT,

ZEER GEËERDE HOORDERS!

Niet voor of om zich zelven alleen is de mensch op deze aarde geboren. Eenvoudige waarheid, door de stem en den stempel der eeuwen bekrachtigd en toch niet zelden miskend en vergeten! Dat de mensch niet voor zich zelven genoeg is, pleit voor den adel zijner natuur en voor het doel zijner bestemming, van de wieg tot aan 't graf, van de schepping der wereld tot aan de voleinding der dagen. De stoicijnsche zelfgenoegzaamheid is een geestdoodend zelfbedrog. De uitwendige natuur, hoe volkomen in en op zich zelve, is van den beginne af wat ze zijn kan en zijn moet; van daar dat ze bij al hare oneindige afwisseling en verscheidenheid van krachten, verschijnsels en voortbrengsels het beeld van onveranderlijke eenvormigheid vertoont. 's Menschen onvolmaaktheid waarborgt zijn voorrang

boven alle schepselen; zij toch is 't, die in hem behoefte en gevoel van behoefte wekt: de bron, waaruit al zijne neigingen en driften ontspringen en opwellen. Die behoefte plaatst hem tusschen de natuur en God, tusschen het absoluut eindige en het absoluut oneindige, waardoor hij tot het rijk der beperkte zinlijkheid zoowel als tot dat der vrije gedachte behoort. Geboren als kind der natuur, onbewust van goed en kwaad, voor zich zelven verborgen, moet hij opgroeijen en herboren worden tot een kind des geestes, om met helder besef, uit volle overtuiging, met vrijen wil te kiezen tusschen goed en kwaad, zal hij in waarheid mensch kunnen heeten, een waardig evenbeeld Gods. Die geest is de stem, de openbaring Gods in ons; maar moet, als van zijne windselen en zwachtelen ontdaan, tot zelfbewustheid, tot zelfkennis, tot volle rijpheid en vrij gebruik zijner krachten en vermogens geleid en voorbereid worden door buiten zich zelven in de werkelijkheid te treden, door zich al handelende aan zich zelven en anderen te openbaren, door zich trapswijze te ontwikkelen en te herscheppen als 't ware. Langs welke wegen, door welke middelen bereikt de geest dit doel? Aan hem zelven is 't overgelaten, om deze zijne verhevenste behoefte overeenkomstig zijn eigen natuur te bevredigen; met zijn onuitwischbaren trek naar zelfstandigheid en vrijheid baant hij zich de wegen, kiest hij zich de hulpmiddelen, schept hij de vormen, die hem van den laagsten tot den hoogsten trap, van het leven in de natuur tot het leven in God, regelmatig verheffen. Wel ons dat hij het *kan*, maar meer nog dat hij het *moet!* Van daar immers de dringende noodwendigheid van gemeenschap en zamenleving van menschen met menschen als natuurgenooten en tot ééne bestemming geroepen, wier ingeschapen vermogens blijven sluimeren, verkwijnen en wegsterven, tenzij ze in de wereld, onder en door, met en voor menschen, hunne oefenschool, hun worstelperk en schouwtooneel zoeken en vinden. In verschillende toestanden en trappen, onder ongelijke omstandigheden en uitwerkselen, onafscheidelijk van plaats en tijd, bestaat die heilzame verbindtenis, die zich nergens ter wereld verloochent of uitroeijen laat.

Het geheele leven van een iegelijk onzer en van ons geslacht omstrengelt zij in drie vormen of kringen, die elkaâr wederkeerig verwijden en voltooijen: het huisgezin, de maatschappij, de staat. Om duurzaamheid en

vasten grond te kunnen bezitten, dienen deze drie vormen op een fundament te rusten, dat ze elk op zich zelf en alle te zamen tot eene georganiseerde schepping van den geest, tot een onmisbaar vereischte van 's menschen ontwikkeling, tot een waarachtig bevredigingsmiddel zijner zucht naar volmaking verheft. Dat fundament, op den oorspronkelijk vrijen aanleg des geestes gegrondvest, bestaat in het wederkeerig verband, de harmonie en eenheid van *recht* en *plicht*, als van ligchaam en ziel. Is recht zonder plicht en plicht zonder recht in 't afgetrokkene al bestaanbaar, in 't werkelijk leven zou daaruit alle losbandigheid ter eene, alle despotisme ter andere zijde ontstaan, die beide als met den adem des doods de vrijheid, ons dierste kleinood, verstikken en versmoren. Alle recht immers ontspringt uit de eeuwige bron der burgerlijke, alle plicht uit die der zedelijke vrijheid, die zich daardoor vrijwillig aan onschendbare banden leggen en zich binnen onoverschrijdbare grenzen beperken.

In het beschrijven en doorloopen der drie voormelde hoofdvormen, waaraan alle andere vormen van menschelijk bestaan ondergeschikt zijn, vindt de geest zijne eenig noodige levenssappen en ware voedingstoffen gedurende al de tijdperken des levens. In de atmosfeer van den huislijken kring, onder den invloed van liefde en tucht, ademt het kind in zijn passiven staat de lucht in, noodig ter opwekking van 't gevoel; den man in den activen leeftijd biedt de maatschappij door werkkring en beroep, door recht en wet de middelen aan tot opscherping van 't verstand, terwijl de staat, door de overwegende macht van rede en vrijen wil, den koninklijken weg opent tot de hoogste zedelijkheid.

Door deze drie vormen dan, in aard en strekking onafscheidbaar en voor ieder even onmisbaar, wordt de geestontwikkeling op natuurlijke wijze geregeld en voltooid, van den onbewusten natuurstaat af door middel der beschaving tot den trap van zedelijke vrijheid opklimmende of, met andere woorden, van het gevoel tot de rede overgaande door tusschenkomst van 't verstand. Juist die zelfde gang spiegelt zich onbedriegelijk af in de opvolgende rij van staatsvormen en in de vorderingen van 't zich trapswijze ontwikkelende staatsleven bij de volkeren des aardbodems: eene beschouwing, waaraan ik de tweede helft mijner rede wensch te wijden, om mij in de eerste tot algemeene bespiegelingen over dat onderwerp te bepalen.

Het huisgezin, de vruchtbare moeder van steden en staten, de vreedzame kweek- en oefenplaats der grootste aller deugden, verbindt als een microcosmus in zijn gesloten kring met een door de natuur zelve gelegden knoop *allen* en aller belang, aller bezit en eigendom tot één ondeelbaar geheel en volbrengt zijne schoonste taak in de opvoeding, die het jongere geslacht als een oogst voor de toekomst kweekt en ze tot zelfstandige leden der maatschappij, tot stichters van nieuwe huisgezinnen opleidt.

Die maatschappij, de milde voedster van beschaving en verlichting, de rijke bronaar van volksgeluk en levensgenot, het ruime veld voor de krachten van ligchaam en geest, verbindt hare leden als bij stilzwijgende overeenkomst, onder de hoede van wet en recht, ter beveiliging van huis en haard, van persoon en bezit, tot eene betrekkelijke, naar hunne persoonlijke belangen berekende eenheid en gelijkheid. De ontelbare behoeften, de velerlei nooddruft in de zamenleving scheppen den arbeid, het levenwekkend beginsel der maatschappij, den waarborg van burgerlijke vrijheid en onafhankelijkheid, den besten toets- en wetsteen voor verstand en vernuft, die onder duizenden van handen en duizenden van hoofden verdeeld, door nieuwe vindingen bevrucht en vermenigvuldigd, in oneindige verscheidenheid van takken met telkens vernieuwde frischheid de aderen van 't maatschappelijk ligchaam doorstroomt. Hoe rijker aan behoeften, hoe ingewikkelder van toestanden en belangen die maatschappij is of wordt, des te onuitputtelijker stof voor den geest tot rustelooze inspanning en werkzaamheid naar alle zijden! De geest immers, die ze schept, laat zich zelven nooit verlegen, maar wil dan ook nimmer door onnatuurlijke kluisters van privilegies en monopolies in zijn vaart gestremd, uit zijn baan gerukt of in zijn rechten gekrenkt zijn. Hier dan vooral het beginsel van vrijheid in hare onafwendbare eischen erkend en gehuldigd! Aan allen arbeid, landbouw of handel, kunst of wetenschap gelijken rang en gelijke recht gegund en de vrije mededinging, de ziel aller maatschappelijke ontwikkeling en welvaart, haar vollen loop gelaten! Dan, onderwerpt de mensch door den arbeid de aan vaste wetten gebonden natuur aan de heerschappij van zijn wil en vrijen geest, hij onderwerpt zich zelf op zijne beurt aan de uitspraken van den zich zelf beheerschenden wil, door wetgeving en rechtspleging. Wet en recht zijn echter ten allen tijde en bij ieder ge-

slacht van den graad der beschaving afhankelijk en dientengevolge niet zelden met de redelijke vrijheid in strijd.

Die *redelijke* vrijheid, boven de sfeer der bewustelooze natuur, boven die van persoonlijke vrijheid en veiligheid, van bijzonder belang en egoïsme verheven, wordt alleen bereikbaar in en door den staat, die geen ander doelwit kent dan zich zelf, die alle vereenigingen der burgermaatschappij, van wat aard ook, omslingert en tot één organisch geheel, tot één ligchaam en ziel verbindt, zonder dat de eene de andere belemmert en overvleugelt of in haren bijzonderen kring het verband, het welzijn en doel van 't geheel verstoort. De staat, uit de inwendige behoefte van al wat waarlijk mensch is, als uit één boezem, gesproten; de staat, waarin de geest zich zelven en zijne hoogste wetten afspiegelt en afdrukt, zich overal en geheel terugvindt, is het ware gebied, waarop hij zich onbelemmerd en vrij beweegt, zich redelijk en zedelijk ontwikkelt, door woord en daad, door goed en kwaad, door godsdienst, kunst en wetenschap zich in zich zelven steeds verjongende. Daarom zei ARISTOTELES zoo te recht, dat de mensch voor den staat geboren is en dat al wie zich er aan onttrekt een dier of een god moet zijn.

Vermag ook al een staat onderscheiden volkstammen met verschillende taal en zeden in zich op te nemen (een denkbeeld den Ouden vreemd!), zoo dient toch tot zijne ware ontwikkeling, tot zijne uit- en inwendige veerkracht, dat een enkel volk er den stempel van zijn eigenaardig nationaal karakter op drukke in de eenheid van taal en landaard, van zeden en gewoonten, van belangen en herinneringen. De nationale eenheid is het hechtste cement, om de tegenstrijdige belangen der maatschappij en de bijzondere elementen van 't staatsleven in een te voegen en te veredelen. Uit die nationale eenheid vloeit de zuivere zamensmelting en harmonische zamenwerking van alle leden en deelen, de verbroedering van alle standen en klassen voort en dat onverbreekbaar evenwicht, die bloeijende gezondheid, dat ondeelbaar zamenstel van een bezield ligchaam, waardoor bij de burgers, als vermaagschapt niet van bloed maar van geest, de zucht ontwaakt, om eigen persoonlijkheid en bijzonder belang te verzaken en aan 't algemeene welzijn ten offer te brengen. Zoo keert de eenheid van den staat, bij wijze van cirkelloop, tot de eenheid van 't huisgezin, maar veredeld en gelouterd, terug.

Hoewel de staat en het staatsleven op *recht*, waar allen met volkomen gelijkheid in deelen, berust, zoo maakt het er echter het einddoel niet van uit. Aan den hoogsten eisch der rede voldoet alleen de *zedelijkheid*, als het góddelijke in den mensch, uitwendig met al den rijkdom harer ontwikkelingen en verschijnselen in het kleed der geschiedenis gehuld, gegrondvest op wetten, die, zoo als Antigone bij SOPHOCLES zegt, niet van heden of gisteren zijn, maar zonder einde leven, zonder dat iemand weet van waar of wanneer ze kwamen: 't eeuwig voortbrengsel en afdruksel van den onsterflijken geest, van de rede die uit God is. Die rede moet zich in alle denken en doen openbaren en handhaven, om een staat tot een zuiver zedelijk ligchaam te maken, om al wat het *recht* als schuldigen *plicht* gebiedt, door het zedelijk beginsel, d. i. door innerlijke overeenstemming en vrije verkiezing, te veredelen tot *deugd*. In deze atmosfeer van hoogere plichts- en deugdsbetrachting ontluiken de ware gevoelens van menschelijkheid, als liefde, vriendschap, dankbaarheid, vertrouwen, godsvrucht enz., gevoelens, die, op zich zelve aan het recht als zoodanig vreemd, zich in het huisgezin als ouder-, kinder- en huwelijksliefde, in de maatschappij als algemeene menschenliefde, in den staat als vaderlandsliefde openbaren.

Als georganiseerd geheel nu van tot hetzelfde doel eenstemmig zamenwerkende krachten en elementen treedt de staat, als in den moederschoot van den geest des volks gerijpt, in 't leven met den stempel van dat eigenaardig karakter op 't voorhoofd, waardoor de kring en 't gezag der wetgevende, uitvoerende en rechterlijke macht, de drie steunpilaren van 't staatsgebouw, onderling bepaald en gewijzigd wordt. Uit de verschillende betrekking dezer staatsmachten zijn de drie grondvormen van staatsregeling als van zelven voortgevloeid: de despotieke, de republikeinsche en monarchale, de onderscheidende kenmerken der oostersche, der grieksch-romeinsche en der nieuwere wereld, tegelijk de onwraakbare getuigen der gestadige ontwikkeling en uitbreiding van 't volks- en staatsleven, d. i. van den menschelijken geest, in den loop der eeuwen.

Het Oosten toch, de wieg en bakermat van ons geslacht, onrijp nog voor het denkbeeld van vrijheid en zelfstandigheid, verraadt in alles den kinderlijken, onmondigen leeftijd, de morgenschemering der geschiedenis. Als alvermogend vereenigt de vorst in zijn enkelen persoon de wetgevende,

uitvoerende en rechterlijke macht, terwijl de onderdanen — zijne slaven, de werktuigen of slachtoffers zijner willekeur, die zich des luttel belgen, — alle rechten missen tot die van persoonlijke vrijheid en eigendom toe. Het gevoel van eigenwaarde en zelfbesef ligt er in diepen slaap; slavernij gaat er hand in hand met bijgeloof en veelwijverij. Onder de vleugelen van een patriarchaal bestuur verspreidde zich deze staatsregeling van ouds her in verschillende gedaanten over 't geheele Oosten en bleef er de heerschende. Alle wetgeving, een uitvloeisel van vaderlijk gezag en priesterwijsheid, hult zich in het kleed eener godsdienst- en zedeleer of wel omgekeerd. Uit gebrek dan ook aan inwendige veerkracht en eenheid, aan vrijheid en vaderlandsliefde verstuiven er alle staten en rijken, hoe reusachtig ook, als kaf, zonder een blijvend spoor van zich achter te laten.

In het scherpste contrast met het Oosten ontluikt, als in een nieuwen dageraad, bij Grieken en Romeinen, onder den republikeinschen regeringsvorm, die het volk zelven de souvereine macht in handen geeft, de eerste kiem van staatkundige vrijheid door de verantwoordelijkheid van tijdelijke overheden als uitvoerende macht gekozen uit en door de burgers zelve, die ook over hunne eigene wetten beslissen, terwijl de rechterlijke macht zich onafhankelijk beweegt. Met achterstelling van alle andere belangen als van huis en huisgezin leefden zij enkel voor en in den staat, eerbiedigden zij recht en wet als het heiligste, waaraan zij instinctmatig gehoorzaamden, hadden zij het vaderland boven alles ter wereld lief en hielden den besten burger voor den besten mensch. Maar burger van den staat was de vrijgeborene alleen; zoo ontelbaar velen, die de slavernij, de kanker der oudheid, door den scherpzinnigen Aristoteles zoowel als door den gevoeligen Cicero in bescherming genomen, van alle recht en beschaving verstoken hield, ja aan dierlijke mishandeling prijs gaf. Daar recht en wet alleen geen duurzame vrijheid waarborgen, ontaardde niet zelden de aristocratische republiek in oligarchie, de democratische in ochlocratie of wel in despotisme.

Was in 't Oosten de koning, in Griekenland en Rome de burger alleen in 't volle genot der vrijheid: in de germaansche wereld, op het christendom gegrondvest, zegeviert het beginsel van algeheele en algemeene vrijheid, die de menschen, wie of waar, als menschen verbroedert en, volgens

een onontvreembaar recht en onkreukbare wet, tot ééne en dezelfde zedelijke en verstandelijke beschaving roept, die den mensch en de menschelijkheid in den mensch, in het menschdom de menschheid ontwikkelt. Die vrijheid en gelijkheid verwezenlijkt zich al meer en meer onder de beperkt-monarchale staatsregeling der nieuwere tijden, die de beide contrasten van despotisme en republiek verzoent, door van 't eene den vorm, van de andere den geest over te nemen; waardoor het monarchale staatsbestuur tot de eenheid der patriarchale regering verhoogd en gelouterd terugkeert. Vereenigt het despotisme alle macht in den vorst, de republiek in het volk: de beperkte monarchie verdeelt ze tusschen beide en waarborgt de wederzijdsche rechten, terwijl ze door de onschendbaarheid van het hoofd van den staat eene hoogere dan staat- of rechtskundige verantwoordelijkheid, *te weten* de zedelijke huldigt.

Nooit en nergens zijn tot den huidigen dag de genoemde regeringsvormen in al hunne bestanddeelen en schakeringen volkomen en zuiver toegepast of tot den hoogsten trap van ontwikkeling gebracht. Ziet nog in onze dagen Frankrijk geslingerd tusschen de twee uitersten van anarchie en tyrannie, van democratisch schrikbewind en militaire dictatuur. Ziet Duitschland, stomp voor politieke en nationale eenheid, verzonken in een bodemlooze theorie van staatsgebouwen met de pen opgetrokken. Ziet Engeland hare in de Middeleeuwen gewortelde staatsinstellingen nog dagelijks overeenkomstig de tijdsbehoeften wijzigen en hervormen. Zijn er eeuwen verloopen om den geest wakker te maken voor de erkentenis en waardering der eenvoudigste aller waarheden, van het heiligste aller rechten: nog zullen er eeuwen verloopen, aleer de ware vrijheid in haren vollen rijkdom en zegen alle zoo openbare als bijzondere betrekkingen en toestanden der menschen- en burgermaatschappij doordringen zal en als 't ware dooraderen. Onder voor- en tegenspoed, onder slingeringen en schokken, onder de barning der hartstochten en de woelingen der partijen wordt de horizon van 't openbare leven verruimd en de atmosfeer van smetstoffen gezuiverd. De eik groeit langzaam en wordt bij storm en onweer groot. Eerst door lange proeven en beproevingen wordt de geest, als eene tweede Psyche, in zijn heiligdom als ware 't in zijn eigen binnenkameren ingewijd; dwaalt hij al af op zijpaden en omwegen, faalt hij al in de middelen, — *nooit*

in het doel; hoe ook door dwang benepen en gekneld, hij redt en herstelt zich door eigen kracht en als met nieuwe organen verrijkt. De geest buigt wel maar breekt niet, en zoo deugd strijd is, vrijheid niet minder. Zonder strijd geen vooruitgang, geen overwinning, — en stilstand is de dood. Of staat de geest ooit stil? Vermag hij 't? Is zijn geheele wezen, als uit louter denk- en wilskracht zamengeweven, niet rustelooze beweging, herschepping en verjonging in telkens nieuwe vormen en toestanden, ja nieuwe werelden van gedachten en ontwerpen?

Nergens vertoont zich de heerschappij en rijkdom des geestes zoo blijkbaar en overtuigend als in het staats- en volksleven, waarin alle stoffelijke en zedelijke belangen des menschen zamenvloeijen en hunne hoogste bestemming bereiken. Vermag al geen staat als zoodanig godsdienst, kunst en wetenschap te scheppen, buiten en zonder den staat is geen van alle bestaanbaar. In hare verschijnsels en voortbrengsels worden of zijn ze alleen en alles wat ze zijn onder den albeheerschenden invloed der staatkundige toestanden, van welke zij 't eigenaardig karakter, de nationale kleur en wezenlijke waarde ontleenen. Groot is derhalve het voorrecht van onzen tijd (die zich daardoor eigen ondervinding ten nutte maakt en aan eigen behoefte voldoet), om op het veld der geschiedenis alle uitingen der verstandelijke en zedelijke beschaving als onafscheidbaar tot het staatkundig leven terug te brengen en daaruit af te leiden. Door dit beginsel geschraagd en veredeld, heeft ook de aardrijkskunde, als bondgenoot der geschiedenis, onder de handen van een Humboldt en Ritter in verjongde gedaante een nieuwe vlucht genomen.

Dan, niet alleen de in-, maar ook de uitwendige invloed is het, die het lot van volken en staten beslist, ten minste beheerscht. Evenmin als in éénen mensch de geest zich in zijn geheel openbaart, evenzoo min in één enkelen staat. Gelijk de zon haar licht in stralen verdeelt, zoo de geest der menschheid over de geheele wereld en door alle eeuwen heen. Deswegens is de aanraking, de zamenwerking, de gemeenschap en 't verkeer van volken met volken, van staten met staten even onmisbaar als de karaktersterkende omgang van menschen met menschen, — en hoe verder die kring zich uitbreidt, hoe beter! Hiermede treden wij op het gebied der wereld- of algemeene geschiedenis, het gedenkboek, de schatkamer,

den spiegel van den menschelijken geest, gelijk die zich in al zijne krachten en gaven, daden en gedachten, in zijne ware gedaante en geaardheid, van den beginne af tot nu toe vertoont in de onderscheiden trappen van zijn wel langzamen maar gestadigen vooruitgang, in zijn afwisselenden strijd voor waarheid en vrijheid, in zijne wel belemmerde en afgeleide, maar nimmer geheel versmoorde ontwikkeling ten goede. De onderlinge verbindtenis van staten, de moeder van 't volkenrecht, geschiedt in vrede langs den weg der diplomatie, in oorlog door geweld van wapens. In oorlog nog meer dan in vrede. De geschiedenis getuigt het op elke harer bladzijden. Een eeuwige vrede, een heilig verbond, hoe zoete tooverklank ook voor ons oor en gevoel, is en blijft nog eene politieke illusie of fictie. Van alouds ook geen krachtiger hefboom tot algemeene beschaving en volkerenverkeer dan oorlog, die werelddeelen verbindt, waar hij naties vaneenscheidt! Onze Nassau heeft het voor jaren in zijne Historische Proeve voldingend betoogd. Griekenland, het vaderland der beschaving, levert er het sprekendste bewijs van; het voerde geen oorlog dan op eigen grond, voor huis en haard of om de hegemonie; alle in- en uitwendige luister trok zich te Athene als in 't harte der grieksche wereld te zamen en bleef er besloten; de grieksche colonies, hoe welvarend en bloeijend, hoe schoone parelen ook aan de kroon der oudheid, ze nestelden zich aan de zoomen der kusten en bleven in een staat van vreemdelingschap midden onder de barbaren, die ze met den rug aanzagen. Eerst door Alexander's veroveringstochten drong grieksche beschaving in 't Oosten door, onder de vleugels der romeinsche adelaren in 't Westen; door den val van Rome zelve en later van Constantinopel werd zij over heel Europa als een erfdeel voor alle eeuwen verspreid, om weldra een nieuwen dageraad van licht en leven te verkondigen. Maar oorlog zij middel, geen doel! Barbaren en wilden alleen leven voor den oorlog en gaan zelfs in vrede gewapend. Beschouwen we voorts, waarom, waartoe en hoe een volk zijne oorlogen voert, hoe 't zich in zijne overwinningen en neerlagen gedraagt, dan blijkt het hoe naauw ze met de staatsontwikkeling der tijden verbonden zijn en dat ze juist daardoor tevens niet zelden de beschaving met reuzenschreden vooruithelpen. Geen oorlogen dus beoordeeld met den beperkten maatstaf van 't oogenblik, van tijdelijk voordeel of nadeel! Een

blijdere toekomst heelt de wonden en vergoedt de rampen, waar ons menschelijk gevoel van rilt en wegkrimpt. Ook het zwaard predikt beginselen ten rijken zegen van latere geslachten. Zoo ergens, dan voorzeker is hier de hand Gods, die uit of naast het kwade ruimschoots het goede verrijzen, de heersch- en veroveringszucht van enkelen tot heerlijke doeleinden voor allen gedijen doet. Hier in 't bijzonder zeggen we HUMBOLDT na: geen wereldgeschiedenis zonder wereldbestuur.

Maar wiegt ook vrede en rust niet meermalen den volksgeest in slaap? Wij Nederlanders, *wie* waren we, toen we tachtig jaren voor staatkundige en godsdienstige vrijheid leden en streden; toen we een naijverige natie op haar element en op haar grondgebied bestookten? — *wie*, toen we om den wille eener oorlogschuwende politiek halve tractaten en losse verbonden sloten of achter de legertreinen van vreemde naties aandraafden? Wie stelt het Italie onzer dagen, in laffe rust zich zelve vergeten, boven het Italie der oudheid en der Middeleeuwen, toen 't van wapengekletter daverde en dreunde?

Openbaart dan (om tot ons onderwerp terug te keeren) de geest en ziel van een volk zich rechtstreeks en volkomen in en door den staat, in de staatsvormen en elementen van 't staatsleven zoowel als in zijne vriendschappelijke of vijandige aanraking met andere volken, dan is het de taak der geschiedenis, uit al deze verschijnselen en uitingen het eigen karakter eener natie op te delven en ze alle daartoe als hoofdbron en hoofdbeginsel terug te brengen. Zij is 't die, als middelares tusschen oorzaak en gevolg, tusschen aanleiding en uitwerksel, tusschen actie en reactie, het noodzakelijk verband, den inwendigen zamenhang en geleidelijken overgang, de onverbreekbare eenheid, den levenden geest der gebeurtenissen, de heilige orde en hoogere wet openbaart, die, evenals al 't geschapene, de lotwisselingen van volken en staten beheerscht; zij is 't die, het algemeen menschelijke en eeuwig ware van 't bijzondere en voorbijgaande schiftende, uit de bijeenverzamelde trekken een helder beeld, een bezield tafereel, een karakter- en levensbeschrijving als 't ware van 't menschelijk geslacht ontwerpt, waardoor de geest zich zelven met eigen oogen in zijn werken ziet afgedrukt. Volgens die methode, door CHATEAUBRIAND ten onrechte als fatalistisch gebrandmerkt, verheft de geschiedenis zich eerst

tot wetenschap, als priesteres der waarheid, die aan geen uiterlijken schijn zich vergaapt, maar tot in de kleinste bijzonderheden afdaalt en tot in de diepste schuilhoeken doordringt, om het ééne middel- en brandpunt te vinden, van waar ze alle als zoovele stralen zich verspreiden, ten einde we door eene juiste kennis van 't voorleden tot de ware kennis van het tegenwoordige en van ons zelve geraken, om aldus een telkens betere toekomst voor te bereiden. Immers ook de toekomst behoort aan ons en wij aan de toekomst, als leden van het groote gezin dat zich voortzet van eeuw tot eeuw, verbonden door de verwantschap van geest, die geen onderscheid van persoon, van volk of van natie kent, geen afstand van tijd, geen verwijdering van plaats. Geslachten en rijken vergaan, volken verdwijnen; maar begrippen en beginselen, op waarheid, recht en rede gegrondvest, zijn in zich zelve onvergankelijk en doen uit hun zaad een telkens hernieuwden oogst aanrijpen ter vermeerdering en uitbreiding van waarachtig menschengeluk.

De waarheid, als het eenigste doel der geschiedenis, brengt haar in zusterlijke verbindtenis met de wijsbegeerte, de wetenschap der waarheid. Bij de behoefte aan dieper onderzoek en bevredigender resultaten heeft zich daaruit na VICO, BOSSUET, VOLTAIRE, MONTESQUIEU, LESSING, HERDER, maar vooral sedert HEGEL en KRAUSE de zoogenaamde wijsbegeerte der geschiedenis ontwikkeld, eene wetenschap, die nog in hare kindschheid verkeert en, als vrucht van duitschen bodem, in de grillige verscheidenheid zich verliest van speculative stellingen, niet uit de geschiedenis geput en afgeleid, maar er op toegepast en overgedragen. Door zulk eene constructie *a priori* wordt natuurlijk de geschiedenis uit hare hooge sfeer van objectiviteit gerukt en aan willekeurige vervalsching prijs gegeven. Zooveel echter schijnt of als resultaat of als fundament dezer bespiegelingen tot zekerheid en vrij algemeene overtuiging gebracht: dat in de rij der eeuwen elke tijd zijn bijzondere waardij bezit; dat alle perioden, hoedanig van aard ook, elkander verwant zijn; dat ieder volk op zijn bodem en onder zijn hemel worden moest wat het was; dat op het gebied der geschiedenis geen toeval, nog minder een noodlot heerscht, maar dat volgens eene redelijke wet de omstandigheden en gebeurtenissen zelve elkander voorbereiden, doen rijpen en geboren worden, zoodat geen glas water als *deus ex machina* den val eener staatspartij, geen geweerschot den val eener dynastie ver-

klaart; dat onder de ebbe en vloed aller lotwisselingen een regelmatige stroom zich rustig voortbeweegt; dat de geschiedenis geen sarcofaag is, waarin het menschdom als mummie begraven ligt, maar een levende gedenkzuil, waaruit de werken des geestes met honderd oogen zien en met honderd tongen spreken; dat zij, als tolk der volken, niet voor en door enkele bevoorrechte klassen en standen, maar voor en door allen bestaat en dat ze eindelijk, als gids op den weg van volmaking, den draad in handen geeft om door den schijnbaren doolhof van kronkelpaden het menschdom te volgen op zijn spoor, in zijne stadien en overgangen uit de heerschappij der blinde natuurwet en willekeur tot het besef van persoonlijke en later van zedelijke vrijheid: overgangen ook buiten 't staatsleven der volkeren zichtbaar in het onderscheid van oostersche natuurdienst, van grieksch-romeinsch anthropomorphisme en van christelijke godsvereering; in dat van symbolische, klassieke (objective, plastische) en romantische (subjective) kunst; voorts in de groepering der oostersche beschaving rondom groote rivieren; der grieksch-romeinsche om de Middellandsche zee, die drie werelddeelen verbindt; terwijl de germaansche zich over het grootere terrein van Europa's vasteland verbreidt, om over den Oceaan de reis rondom de geheele wereld te doen.

Om dan, G. T., in de tweede plaats deze algemeene opmerkingen in breede trekken door den gang der geschiedenis gestaafd en bewaarheid te zien, wenden we ons vooreerst naar 't Oosten met zijne nog in passiven toestand levende volken, met zijne eerste beginsels van menschelijke zamenleving, die daar, na lang tot de bevrediging van louter natuurbehoeften beperkt geweest te zijn, bij uitgebreider kring in den landbouw den hefboom van hoogere beschaving vond. De vroegste Nomaden, evenals de hedendaagsche Wilden, schoon dan al onder een patriarchaal bestuur vereenigd, kent de geschiedenis niet, gelijk ze zelf geen geschiedenis kennen, geen toekomst of voorleden, geen herinnering van zich zelve bezitten.

Op zijn hoogsten trap, in zijn uiterste consequenties, maar ook in zijn volle naaktheid verwezenlijkte het patriarchaal beginsel zich in 't reusachtige China met zijne naar de regels der kunst gemodelleerde, maar in zich zelve versteende staatsregeling, die sedert eeuwen, bij alle mooglijke troonrevoluties en ommekeer van dynastieën, den landbouw en de familie, de

stevigste steunsels van werktuigelijke eenheid, als eenigsten grondslag van alle openbaar en bijzonder leven handhaafde. Het chineesche volk is één groot gezin, China het huis met dikke muren, aller vader de keizer, die zelf weder de zoon des hemels is, de as, waarom al wat Chinees is tot in de onderste lagen en geledingen der staatsmachine met fijn draad- en raderwerk zich mechanisch beweegt, onder toezicht van een heirleger staats- en krijgsbeambten, allen gehouden tot de strengste ondergeschiktheid en verantwoordelijkheid aan hun meerderen en ten laatste aan den keizer, die op zijne beurt den hemel rekenschap verschuldigd is. Die dwang baart doodsche rust en doet de chineesche beschaving draaijen in den eeuwigen cirkel van stramme, stijf afgemeten en geestdoodende vormen, ceremonies en leefregels, wier geringste overtreding, als ware 't streng-zedelijk kwaad, volgens een eigen wetboek met enkel stokslagen gestraft wordt. Dat uiterlijk vertoon, die kinderlijk bekrompene onderdanigheid en slaafsche gehoorzaamheid des volks jegens den keizer en de ambtenaren, der vrouw jegens den man, der kinderen jegens den vader, der jongere broeders jegens de oudere tot in de verste graden van bloedverwantschap toe, verlamt de veerkracht en verdooft den prikkel van zelf- en eergevoel, waaruit stompzinnigheid ter eene, demoralisatie ter andere zijde geboren wordt. Ook in de wetenschappen, die onder 't verhoor des keizers staan, verloochent dit karakter zich niet: geschiedenis is een snoer van naakte feiten, rechtsgeleerdheid weinig meer dan wetgeleerdheid, zedeleer een geraamte van conventionele plichten; van daar naast diepe geleerdheid en veelweterij schreeuwend bijgeloof aan tooverij en geesten; kunstvaardigheid in handenwerk zonder kunst; uitvindingen zonder toepassing en volmaking; eene taal van teekens en beelden, zonder eenheid van vorm en beteekenis, van uitdrukking en begrip; kortom verstand en vernuft zonder levendmakenden geest; voorts burgerlijke gelijkheid als van kinderen uit één gezin, maar geen vrijheid; tal van graden en rangen, maar geen standen; vrije toegang tot alle ambten en waardigheden voor elk die zich met glans door een zee van strenge examens heenworstelt.

Uit China, het platte land van 't nuchteren verstand, over de hooge bergen naar Indie, den lusthof der weelderigste natuur, het rijk der fantasie en der droomen, de betooverde wereld, waarin de voor zich zelven

ontwaakte, uit de boeijen geslaakte geest in 't eerste genot der vrijheid rondzweeft, evenals de pas uit zijn cel gebroken vlinder in de eerste stralen der zon! Hier in Indie is alles beweging en onrust, dus scheiding en splitsing van elementen, schoon alle nog in zoo hooge mate door den invloed van 't familieleven beheerscht, dat de geboorte over ieders lot en loopbaan beslist. Van daar zoovele families, zoovele staten in den staat als er ondeelbare en erflijke kasten zijn, die als staatsgilden godsdienst en krijgswezen, handel en bedrijf vertegenwoordigen, elk met eigen rechten en vrijheden, met eigen plichten en straffen, met eigen deugden en woonplaatsen. Evenals aan deze verscheidenheid en versnippering van elementen de hoogere eenheid ontbreekt, zoo ontbreekt die ook aan de indische kunstwereld. De fantasie toch, hoe gloeijend ook en overvloeijend van lieflijkheden, bindt den geest zoo goed als zij dien ontbindt, omdat haar evenals een droom de werklijkheid ontzinkt, omdat zij zich wel een eigen wereld kan scheppen, maar geen gegeven toestanden organiseren. Dat vermag het gezond verstand en gezond verstand verfoeit de Hindoe. Met zijn onuitputtelijke vindingskracht toovert hij met de aan vormen rijkste aller talen, mengt hij hemel en aarde, 't goddelijke en menschelijke in dwarrelend gewemel dooreen, herschept hij menschen in goden, goden in menschen, planten in bezielde, olifanten en apen in redelijke wezens; en tusschen het schoone en leelijke, het verhevene en platte, het bevallige en wanstaltige, tusschen monotheïsme en pantheïsme, tusschen spiritualisme en sensualisme als in een zinbedwelmenden roes geslingerd, komt hij nooit tot zich zelf en tot rust. In weerwil van staatkundige woelingen nu en dan onder de kasten gerezen, in weerwil van een langdurigen godsdienstoorlog tusschen de orthodox-aristocratische Braminen en de liberaal-democratische Boedisten gevoerd, bleef ook in Indie het maatschappelijk leven en de algemeene volksontwikkeling, onder den druk van middeleeuwsche despotie en hierarchie, ten eenenmale gestremd en in de kiem verstikt.

Bepalen deze volken in den passiven of kinderstaat zich tot eigen huis en haard: die van westelijk Azie, tot rijper leeftijd gekomen, voelen zich geprikkeld om hunne grenspalen te overschrijden en een active rol te spelen. Vol van die bewustelooze, instinctmatige krijgs- en veroveringszucht

treedt Perzie op als nomadisch-militaire staat bij uitnemendheid, een overgangsstaat, waarin de eenheid een beginsel, een nationaal element, geen werktuigelijke dwangwet is. Dat beginsel was symbolisch, de zon, het zuivere, vlekkelooze licht, tevens de goede geest, tegenover de duisternis, den geest van 't booze. Als uitverkorenen des lichts hielden de Perzen alle andere volken voor kinderen der nacht, voor vijanden des lichts, voor *hunne eigene* vijanden, die ze in 't gevoel van nationale fierheid en aristocratische ridderdeugd bestreden en onderwierpen. Naardien als zoodanig volk en staat als 't ware ééne kaste uitmaakt, verrijzen hier voor 't eerst vrijere standen met gelijkmatige rechten en wetten. Dat er, schoon alles op de leest van het strengste krijgsbewind geschoeid was, krijgsbeleid en krijgskunde ontbrak, verklaart zich uit den nomadischen trek, den Perzen met al hunne stambroeders uit het Zendvolk gemeen. Die nomadische trek spreekt onder anderen in hunne liefde voor 't paard en voor de jacht, gelijk hunne ruiterij en hunne diergaarden wereldberoemd waren; vooral ook in het trekken, bij wijze van volksverhuizingen, heinde en ver van werelddeel tot werelddeel, van Azie tot Africa, van Africa tot Europa, waar hunne tallooze ongeordende legerdrommen te land en ter zee voor een handvol Grieken uiteenstoven; eindelijk in de regeling der provincies, die niet als leden van één ligchaam bij het rijk ingelijfd, maar er als dienst- en cijnsplichtige aanhangsels aan vastgeklampt waren, onder 't bestuur van eigenmachtige satrapen, regenten in den trant der latere pacha's. Van versmelting der vreemde nationaliteiten, van staatkundige eenheid, van inwendig bestuur en beheer geen zweem! Perzie kon veroveren, *niet* regeren; was van buiten monsterachtig groot, van binnen hulpeloos zwak en helde op het glibberige pad van hofkabalen en serailintrigues al spoedig ten wissen ondergang. Voor 't overige overgoot de dienst des lichts het leven der Perzen met een heldere kleur en frisschen tint, die tot in hunne latere letterkunde nog vonkelt.

Bij de Israëliten, die zich als het uitverkoren volk Gods midden in de kom der machtigste rijken binnen het enge Palestina als hun gewijden grond opgesloten hielden, werd het denkbeeld van oostersch despotisme overgebracht op den onzichtbaren Jehova, als God van schrik en wraak, wiens heilige wil de eenige, onschendbare wet was van den staat, die

daardoor zuiver theocratisch werd, evenals hunne geheele geschiedenis eene doorloopende theodicee.

Zonderde China zich zelf van de overige wereld af, Indie kasten van kasten; zagen de Perzen en Israeliten alle andere naties als verworpenen aan: in Aegypte, den priesterstaat bij uitnemendheid, waait ons een ruimere lucht te gemoet. Op den kruisweg tusschen Azie, Africa en Europa gelegen, wel waardig de sleutel der geheele wereld te heeten, onderging het bij beurten den invloed van alle drie werelddeelen onder de heerschappij der semitische Hyksos, der Aethiopiërs, der Perzen, der Grieken en ten laatste der Romeinen, zoodat het nooit tot het volle besef zijner nationaliteit geraakte en een bont mengsel van tegenstrijdige begrippen en maatschappelijke overgangen vertoonde. Door rekbaarheid van geest leende Aegypte zich voorbeeldig tot een smeltoven der over de wereld verspreide elementen van beschaving, sedert onheuglijke tijden tot aan de dagen toe dat Alexandrie als door magnetische kracht de rijke schatten van oostersche en westersche wetenschap en wijsheid in haren schoot vergaderde en verwerkte. Terwijl Perzie te midden zijner heerschappij Perzie bleef, ontwikkelde Aegypte zich door vreemde tusschenkomst te midden zijner afhankelijkheid van trap tot trap. Evenals het geographisch half tot Africa, half tot Azie behoorde, half uit berg- en vlakland, half uit bouwland en woestijn bestond, half onder, half boven den grond bouwde, goden vereerde half dier half mensch, bij het leven zich den dood, in den dood zich het leven voor oogen stelde, zoo levert Aegypte ook nog anderzins het beeld van een gebroken geheel. Half was het priester-, half militaire staat; 't ging van landbouw tot nijverheid, van land- tot zeehandel over; 't bezat een streng kastenstelsel en haalde toch vreemdelingen in, ja was het pelgrimsoord der grieksche wijzen. Aegypte hield het hoogere niet meer onvereenigbaar van het lagere gescheiden, zoo als Perzie en Israel; maar liet het goddelijke in het menschelijke, het menschelijke in het natuurelement versmelten: de voorbode, hoe plomp en ruw dan ook, van de beeldende kunst. Bij al die scherpe contrasten nu lag er over land en volk een last van pijnlijke gedruktheid, een donkere schaduw en sluijer van doodsche somberheid, aan alle tegenstrijdigheden en symbolen verbonden, omdat de geest er zich niet helder van bewust is.

De zee alleen, het vrije, voor allen geopende veld, vermag de beschaving door algemeener verkeer van menschen en door naauwer verbinding van volken voort te planten; zij was 't, die Phoenicie, den grooten handelstaat op de smalle kuststrook van den Libanon, een nieuwe wereld ontsloot voor den nijveren geest. Phoenicie verwijdde de grenzen der aarde, ontdekte en bevolkte over het nog ongetemde element de verste gewesten, zette zijn eigen havens open, legde tot diep in 't oosten straatwegen aan, bouwde steden in smaakvoller trant dan die van Indie, Mesopotamie, Perzie, Aethiopie en Aegypte, scherpte zich op uitvindingen en verbeteringen, op berekeningen en ondernemingen, verwerkte de voorwerpen der natuur en bracht ze in andere handen en landen en leerde ze gebruiken tot verfijnder levensgenot. Bij eene handelsnatie ontwaakt ongevoelig het besef van persoonlijkheid, het vertrouwen op eigen kennis en kracht; van daar in Phoenicie voor 't eerst een vrije volksgeest, een democratisch zelfgevoel. De handelsjaloersheid echter, op godsdiensthaat na de bekrompenste, verlamde het bondgenootschap der phoenicische steden, waardoor ze, elk aan haar eigen lot overgelaten, voor ieder veroveraar bukten; ja zij maakte ten laatste dat bedrijvige, nijvere volk, ten gevolge van een onverbiddelijk afsluitings- en monopoliestelsel, tot de doodvijanden der algemeene beschaving die zij eens zoo weldadig gekoesterd hadden. Bij Salamis vochten de Phoeniciërs het hardnekkigste tegen de Grieken. Evenzoo stond het later tusschen Venetie en Genua, tusschen onze republiek en Engeland. Ook verzwolg het materiële handelsbelang alle hooger belang; geen vaderlandsliefde, geen krijgswezen noch letterkunde en, evenals in Aegypte en later te Rome, stond er de wetenschap in dienst der practische behoeften.

Carthago, het Londen der oude wereld, bracht met hare sterke, uit allerlei tongen en talen zamengestelde land- en zeemacht, met hare sluwe doch bekrompen politiek, met hare geslepen diplomatie en wreede dwangmaatregelen als die der latere volken van Europa in Oost- en Westindie, het handelsbeginsel op nog grooter schaal over dan haar moederland, totdat zij voor Rome bezweek, evenals vroeger Azie voor Griekenland, in een worstelstrijd tusschen de twee van aanleg en aard vijandigste rassen, een worstelstrijd na eeuwen hernieuwd in de vlakten van Andalusie, in de velden van Palestina, aan de boorden van den Bosporus tot voor de poorten van Weenen.

Over Kleinazie, de door de natuur gelegde brug tusschen 't Oosten en Westen, het land van ongedurig trekken en kruisen, het land van kleine en kortstondige staten en rijken, nadert de beschaving al meer tot de kom der Middellandsche zee en zet haren voet in Griekenland, als haar uitverkoren grond, waar ze voor de dienst van Gratien en Muzen de harten blaken doet. Elders stelselmatige afzondering, hier vrije vereeniging en harmonische zamenwerking van krachten als ondergeschikt aan één hoogste doel, den staat, die al zijne leden als burgers door den broederband eener gemeenschappelijke nationaliteit, door het verheffend gevoel van een eigen vaderland omstrengelt; elders het beginsel van stoflijke macht, hier van inwendige kracht; elders mechanisme, hier organisme! Van daar geen ziellooze familie-etikette als in China, maar toch vriendschap en liefde; geen kasten als in Indie en toch standen; geen militair despotisme als in Perzie en toch persoonlijke dapperheid; geen hierarchie noch mysteries als in Aegypte en toch heilige godsvereering en fijne beschaving ter bevrediging van den naar waarheid en schoonheid dorstenden geest; geen koopmansleven en geldaristocratie als in Phoenicie en toch bloeijende handel en nijverheid, colonies en zeemacht; niet het on- en bovennatuurlijke van 't Oosten, maar de verheven eenvoudigheid der natuur zelve, die er de werken der kunst bezielde en alle vezelen van het staats- en volksleven doortintelde. De geest, nu tot zich zelven, tot kalmte gekomen, gevoelt en openbaart zich in eigen volle kracht, zonder dwang of geweld te gedoogen. Als een zonnige dag verrijst de vrije individualiteit, het persoonlijk zelfgevoel, het oorspronkelijk genie, dat zich langs den koninklijken weg bij de Grieken theoretisch en poëtisch door kunstbeschaving tot den hoogsten trap ontwikkelt, evenals later bij de Romeinen practisch en prozaisch door krijgskunde en rechtskennis. Het zuiverste spreekt die individualiteit in de afgescheidenheid der grieksche volkstammen en steden als zoovele bijzondere staten met eigen wetten en zeden; in den cyclus hunner voltooide kunstvormen en dichtsoorten, die afzonderlijke perioden van staatsleven vertegenwoordigen; in de dialecten, die 't eigenaardig karakter van elken stam tot in de fijnste schakeringen helder afspiegelen; in de scherpgeteekende persoonlijkheid hunner groote staats- en krijgsoversten; in de democratische republiek met hare kruisende partijen en

klubsen, die in het ostracisme als politieke Nemesis den waarborg vond van aller gelijkheid.

In Griekenlands heldentijdvak gaf de volksindividualiteit zich lucht in avontuurlijke zwerf-, stroop- en krijgstochten te land en ter zee. HOMERUS schildert ons een patriarchaal koningschap, onder welks hollen bodem voor Troje reeds het zelfstandig volkselement woelt. Thersites immers de minste burgerman heeft er tegen Agamemnon den machtigsten der koningen een vrij woord zoo goed als Achilles de dapperste held: een verschijnsel, dat zich in den raad van Zeus op den Olympus en in de latere volksvergaderingen te Athene herhaalt. Bij gestadige uitbreiding van beschaving en krijgskunde, van rijkdom en macht, bij verhoogde zelfbewustheid en vrijheidsliefde onder de burgerij, ten gevolge der volks- en landverhuizingen, terwijl ook de dynastieën zelve door familiegruwelen haar kwalijk bevestigd gezag ondermijnden, werd Griekenland onder meer of min hevige beroeringen en schokken, niet als Aegypte van buiten, maar uit aangeboren behoefte *in* en *door* zich zelve gemetamorfoseerd, de koninklijke voogdijschap afgeschaft of, zoo als te Sparta, beperkt. Op de puinhoopen der afgezworen monarchie verrezen van lieverlee bloeijende republieken, vol van frissche levensgeesten, eerst aristocratisch van regeringsvorm, dan oligarchisch of timocratisch, totdat weldra de tyrannis, die, om zich zelve te verheffen, den adel fnuikte en de lagere klassen ophielp, bij hare ontbinding de oppermacht in de handen des volks overleverde; waaruit langs een ook door de nieuwere volken bewandelden weg de democratie als natuurlijke vrucht geboren werd. Deze omkeeringen vallen grootendeels in Griekenlands tweede of staatkundig tijdvak, dat alle stammen op leven en dood als één man voor de gemeenschappelijke vrijheid pal zag staan tegen het barbaarsch despotisme van Azie. Die eenheid en eendracht echter, door de liefde voor 't algemeene vaderland, door nationale feesten, spelen en Amphictyonieën maar al te zwak bevestigd, duurde zoolang als 't gevaar en leed schipbreuk op den onverbiddelijken naijver van elke stad op hare individualiteit, op hare eigene vrijheid. Alle staten toch stonden op zich zelve, zonder zich aan een hooger beginsel te willen opgeven, zonder zich tot ééne natie, tot ééne souvereine macht te willen verbinden. De hegemonie, die niets dan eene conventionele souvereiniteit vergunde,

als twistappel tusschen de eerzuchtige steden geworpen, splitste Griekenland in twee onverzoenlijke partijen en verwekte ten laatste den peloponnesischen oorlog, een oorlog, evenals de perzische, van zuiver politieke beginselen, gevoerd tusschen de democratie en aristocratie: de eerste vertegenwoordigd in den ionischen stam met Athene, de andere in den dorischen met Sparta aan 't hoofd. Athene bezweek en zocht voor 't noodlottig verlies harer politieke vrijheid troost in een hoogere vrijheid; bij het verval der voorvaderlijke godsdienst en zeden liet ze zich door de wijsbegeerte den spiegel der zedekunde voorhouden en trok zich na 't uitsterven der schoone kunst in de bespiegeling van 't zedelijk schoon terug. Evenals Athene, had Sparta weldra haren tijd gehad en na den vrede van Antalcidas ging de vrijheid in de gelijkheid onder. De individualiteit, die Griekenland het leven gebracht had, bracht tot het uiterste volgehouden den dood. Thebe's kortstondige hegemonie leverde de grieksche staten één voor één in handen van den sluwen PHILIPPUS van Macedonie, onder wiens zoon ALEXANDER grieksche beschaving tot in 't Oosten hare heerschappij en te Alexandrie haren wereldzetel vestigde. Dan, allengs verloor zich Griekenlands nationale geest en zelfstandigheid onherstelbaar in de sluipwegen en valstrikken der diplomatie, die in den doolhof van kuiperijen onder de Diadochen ter eene en in de grieksche confederaties ter andere zijde hare eerste leerschool vond en den weg ter overheersching baande aan de Romeinen, die het verstrooide overschot der toenmalige beschaving als eene nalatenschap tot vruchtgebruik overnamen en later vermeerderd ten algemeenen nutte aan de geheele wereld vermaakten.

Met Rome treedt het proza als albeheerschende macht op het wereldtooneel, de practische volksindividualiteit, die krachtig eerst in en door zich zelve en onuitputlijk in middelen van dwang en geweld, zich onweerstaanbaar aan anderen opdringt, vreemde nationaliteiten in de hare verzwelgt en zich aldus tot de souvereiniteit verheft. Als geboren krijgsen staatsman, voor de markt en de legerplaats opgewiegd, zei de Romein de schoone kunst en de vrije natuur vaarwel, om zich zelf en zijne onderworpelingen aan de eentoonige orde van 't werkelijk leven en aan strenge tucht te binden, al zijne gedachten en handelingen, zijn goed en bloed aan het éene onwrikbare doel van den staat en van 't rijk, dat van

geslacht tot geslacht als gemeengoed overging, dienstbaar te maken: een trek, die op alle romeinsche karakters denzelfden onveranderlijken stempel drukt. Wist de Griek, als schepper van 't ideaal, in zijne kunstgewrochten de schoonste natuur te overtreffen, de Romein met al het talent van wijs overleg en ijzeren volharding wist de ruwste natuur in- en uitwendig te overwinnen, waardoor hij de schepper werd van alle positief recht en practische wetenschap, van krijgs- en legerbouwkunde, van heirbanen en openbare werken, van een nieuw colonisatie- en verdedigingsstelsel. Letterkunde was een mode- en weeldeartikel voor verfijnde grooten, geen behoefte voor 't volk, dat om wapenoefeningen, wedrennen, zwaardvechtersspelen en dierengevechten 't genot der fraaije kunsten verzaakte. Zich in 't openbaar te doen gelden door daden meer dan door woorden: ziedaar aller leus en tegelijk een oorlogsverklaring aan de geheele wereld. Hun wil was wet, hun wet was recht; beide drongen ze de vreemde naties als eene weldaad op en inderdaad, die staatkundige gevangenschap en curateel, ze was voor de toenmalige wereld eene weldaad. Volgens Polybius, Strabo en Plinius toch was Rome door de godheid uitverkoren, om door haar alomvattend gebied de vaneengescheiden en verbrokkelde volken en staten der aarde te verbinden, ze door maatschappelijke orde uit den poel van barbaarschheid op te heffen en door ééne taal en ééne wet met een hechten band te omslingeren, waardoor zij het algemeene vaderland en brandpunt der wereldbeschaving werd. Ja wat meer is, door die onderdrukking zelve maakte Rome de volken langzamerhand wakker en rijp voor de vrijheid, voor de waarachtige, de zelfbewuste, nationale vrijheid; gelijk de zucht en behoefte van onderwerping ter eene, die van emancipatie ter andere zijde dèn sleutel geeft tot Rome's in- en uitwendige staatsgeschiedenis.

Zelf bij wijze van emancipatie ontstaan, in een hoek van Italie verschoven, hernieuwde Rome in den boezem eener enkele stad, door de worsteling of liever door het politieke tweegevecht van plebejers en patriciërs, den kampstrijd van democratie en aristocratie, in Griekenland nog tusschen Athene en Sparta verdeeld: een strijd niet meer van stammen alleen, maar van standen, niet alleen op staats-, maar ook op godsdienstig, maatschappelijk en familieterrein. In stelselmatige oppositie en als in slagorde ontwringt het plebs zijne even hardnekkige tegenpartij voet voor

voet de ontzegde staats- en burgerlijke rechten, van de persoonlijke vrijheid af tot de hoogste eerambten toe. Te midden van dien edelen worstelstrijd, waaraan Rome hare grootheid dankt, stonden de beide partijen, evenals de legers der fransche republiek, als één man tegen de vijanden over, die alle voor hun reuzenmacht en reuzenarm bezweken. Dan, met de onverzadelijke drift, waarmeê ze staten verzwolgen, verzwolgen ze de schatten der wereld in een toomelooze wellust en weelde, die zich te Rome uit de communistische heerschappij ontwikkelde, evenals te Sparta uit de communistische staatsregeling. Van daar hoe meer staatkundige luister, des te minder burgerdeugd; wetten zonder zeden; de deugden door tegenovergestelde ondeugden verdrongen; vroeger alles met goede middelen in 't belang van den staat, nu alles met slechte uit persoonlijk belang. Schraapzucht van gebied was in schraapzucht van geld verkeerd. Door de latifundia en de ophooping van slaven ging de landelijke stand, door de ophooping van kapitalen in ééne hand de burgerklasse letterlijk te gronde. In zulk een tijdsgewricht van losgereten banden en invretend pauperisme verplaatste de vroegere emancipatiestrijd zich op maatschappelijk terrein, — van armen tegen rijken. Gelijkheid van rechten vorderde in eene stad als Rome, die op egoïsme gebouwd was, gelijkheid van bezittingen als onmisbaren nasleep. Als weerstuit dezer revolutionaire bewegingen dwongen de bondgenooten met het zwaard in de vuist Rome het burgerrecht, haar heiligste onderpand, af, terwijl door slavenoorlogen en slavenopstanden de kring der emancipatie zich uitbreidde en coalities in 't oosten en westen zich als donderwolken zamenpakten. De partijwoede en democratische omwentelingsgeest, die met geweld een stelsel van verjaarde voorrechten en vermolmde instellingen verbrak, verbrak tevens de kracht en individuele eenheid der republiek, die zich van zich zelve willende emanciperen, afstand deed van haren souvereinen wil, om dien aan een partijhoofd over te doen en zelf het slachtoffer er van te worden. De kampstrijd om die souvereine macht, een lokaas voor persoonlijke eerzucht, eindigde na de burgeroorlogen, waarin Rome als onder den bloedigen geesel der Erinnyen voortgezweept werd, met de bevestiging der alleenheerschappij: waarmeê wel de souvereiniteit hersteld, de anarchie gebreideld en het rijk gered, maar tevens de staat te loor gegaan en het volksleven de hartaar afge-

stoken was. Alles toch hijgde naar rust en verademing en trok zich van het staatstooneel in zich zelven terug, onder 't genot der stille beoefening van kunst en wetenschap, in de schaduw der stoicijnsche, later der christelijke leer, die, zoo als de Romein de eeuwigheid van een wereldrijk droomde, de eeuwigheid predikte van een zedelijk rijk: de groote emancipatie niet van een stand of van een volk, maar van het geheele, tot broederschap geroepene menschdom.

Onder en door de keizers werd om eigenbelang en zelfbehoud, evenals door de tyrannen der grieksche steden, de aristocratie geknuikt en de volksklasse opgebeurd, ja te midden der uitgezochtste onmenschlijkheden de menschheid krachtdadig en merkbaar vooruitgebracht. Ook de eeuw van Juvenalis en Petronius levert hare schoone partijen. Herinnert u die reeks van weldadige wetten en verordeningen, allen bestemd om het lot te verzachten en de rechten te verbeteren der eeuwen lang miskende slaven en vrouwen, kinderen en weezen, erfgenamen en provinciebewoners! Het bijzondere maakte gaandeweg voor 't algemeene plaats; menschlievendheid, een sprank der algemeene menschenliefde, look op en met haar het subjective element der nieuwere beschaving.

Dat subjective element, dat zedelijk gevoel lag in de diepte der oudgermaansche wouden verscholen en wachtte op het oogenblik, om welig op te kunnen schieten. De Germanen, in 't hart van Europa geboren en getogen, bezaten, als eenvoudige kinderen der vrije natuur, weinig of niets van 't geen Grieken en Romeinen zoo groot had gemaakt, maar ook veel, ja meer om hen nog grooter te maken dan deze: alle deugden eener onbedorven inborst, goede zeden meer dan goede wetten, ongedwongen leefwijze, goedhartigheid jegens minderen en eerbied voor de vrouw, vrijheidsliefde en eergevoel. Voorts leefden de verschillende stammen, uit zucht tot zelfstandigheid, wel afgezonderd en in kleine kringen besloten, maar in vrede toch door onderling verkeer, in oorlog tegen een gemeenen vijand voor langer of korter tijd door vrijwillig bondgenootschap vereenigd. De verdeeling der onder zelfgekozen aanvoerders veroverde landen, de moeder van 't leenstelsel, riep al vroeg de democratie der vrije gemeenten, de aristocratie der vasallen, de monarchie van den leenheer als voorbode der hedendaagsche staatsontwikkeling te voorschijn.

Door de germaansche volksverhuizingen werd als door eene aardbeving de oude maatschappij op hare grondvesten geschud, in hare lendenen ontwricht. Twee werelden, de eene door overbeschaving ontzenuwd, met niets dan een voorleden; de andere frisch, maar in halve barbaarschheid verzonken, met niets dan een toekomst, botsten en ploften op elkaâr, dat de eene onder de scherven der andere begraven scheen. Eerst nadat langzaam de geestbeschaving en godsdienst der overwonnenen in de onverzwakte jongelingskracht en 't onvervalschte gevoel der overwinnaars had post gevat, doemde er eene nieuwe toekomst voor 't ontredderde Europa op; het lot der menschheid kwam in handen van andere geslachten, door den adem des christendoms bezield. 't Was de trein die van spoor verwisselde. Dan, daar verrijst een schrikbarende antagonist der jonge leer in den Islam, die als een vlammend en vernielend meteoor uit de woestijnen van Arabie in weergalooze vaart over Africa tot diep in Frankrijk dringt, om met het zwaard in de vuist een theocratische wereldmonarchie te stichten. Doch door oostersch fanatisme en despotisme verkankerd, zonk deze heerschappij, hoe ook voor 't overige door wonderen van heldenmoed en ridderdeugd, van pracht en praal, van kunst en wetenschap opgeluisterd, even spoedig als ze verrezen was, in 't niet, om zich met hare uitgestorven kracht en fatalistisch geloof tot de semitische stammen van Azie en Africa in te krimpen, waar zij alleen te huis behoort.

Langzamer vorderde, maar ook langer en zekerder werkte het christendom, de leer der vrijheid en gelijkheid aller menschen in de eenheid van God, in het bewustzijn van aller gemeenschap aan ééne bestemming, in de onvoorwaardelijke overgave van den wil aan de ééne en eeuwige wet der hoogste zedelijkheid. Op dit beginsel gegrondvest, van dezen geest doortrokken, verheft zich de staat, die de waarde en rechten van ieder mensch als zoodanig en van iedere natie op zich zelve, in de eenheid der hun allen gemeenschappelijke en in de zich harer algemeenheid bewuste menschheid, erkent en eerbiedigt. Uit kracht dezer hoogste individualiteit als nationaliteit vermag een enkele staat geen langdurige, meer dan betrekkelijke opperheerschappij over de andere uit te oefenen, tenzij op het gebied van den geest, die in alle beschaafde landen 't hoogste burgerrecht bezit.

Breidde zich dus met den overgang van de oude tot de germaansche wereld de vrije individualiteit tot vrije nationaliteit uit, dan diende zich van zelfs ook het tooneel der geschiedenis, de bedding als 't ware van den stroom des tijds, te verbreeden; want de individuele vrijheid en zelfstandigheid van één enkelen staat was bestemd om die van vele, van alle zonder uitzondering te worden. Niet weinig echter werd van den beginne af die nieuwe geest in zijn vrije ontwikkeling belemmerd en gedwarsboomd. Het roomsche rijk, het pausdom, de ridder- en priesterheerschappij, het absolutisme, ziedaar zoovele bolwerken, het eene met reusachtiger hand dan 't andere in den loop der eeuwen achtereenvolgens daartegen opgeworpen! In het keizerschap en pausdom beide herleefde de souvereiniteit van het romeinsche imperatorschap; de kerkelijke macht verlamde en vernietigde door hare onfeilbaarheid en door geloofsdwang de individualiteit der geesten; de wereldlijke door hare alomvattende opperheerschappij en door wapengeweld de individualiteit der afzonderlijke staten; beide echter vond hardnekkige tegenkanting en stelselmatig verzet bij de germaansche volkeren, die, met al de kracht hunner aangeboren overtuigingen, eeuwen lang een soms wanhopigen worstelstrijd voerden, totdat eindelijk de reformatie de vrijheid van den geest en de revolutie de rechten van den mensch in hunne volle waarde herstelde.

Het roomsche rijk zoowel als het pausdom waren uit de orde der dingen en de behoefte der tijden geboren en oefenden als alle gewrochten der omstandigheden een heilzamen invloed uit. De dreigende houding des Islams, de scheuringen der secten, de vervalsching der leer dwongen tot eenheid, gemeenschap en ondeelbaarheid in het middelpunt van Rome, in den schoot der moederkerk, die tevens in haar bestuur het beginsel van volkomen gelijkheid huldigde en hare armen voor allen van wat rang of stand geopend hield. Ook de europesche staatsverwarringen en volksopschuddingen, bij 't woelen en worstelen van allerlei elementen der in een chaos herschapen maatschappij, riepen luide om een vuist, die een ijzeren band om de verstrooide, zich zelve ontvallen en uiteengespatte krachten slingerde, om haar een gemeenschappelijk doel te verschaffen en ze voor volslagen ondergang te behoeden. Gelukkig echter voor Europa's toekomst, dat het theocratisch en monarchaal bestuur zich nimmer, zoo als in

den Islam en 't Byzantijnsche rijk, op één hoofd vereenigd zag. De *respublica christiana*, eenheid van staat en kerk, van godsdienst en recht, de lievelingsdroom der middeleeuwen, strekte alleen om de christenwereld in twee bloedige legerkampen te verdeelen.

De zamensmelting en verbroedering dier twee alleenheerschende machten leed schipbreuk op hare onderlinge ijverzucht, op den nationalen haat van Italianen en Duitschers, bovenal op de onverzetlijke antipathie en den tegenwerkenden volksgeest der germaansche stammen, die, wars van alle centralisatie, in het leenstelsel en leenmanschap, waardoor zelfs kleinere staten in 't oneindige verbrokkeld werden, een palladium van zelfverdediging en zelfbehoud bezaten. Die reactie bleef niet zonder kracht. Nadat tijdens den hoogsten bloei van keizerschap en pausdom de wereldstrijd der kruistochten de christenvolken van Europa voor 't laatst had vereenigd, nadat Rome's wereldtaal voor de volkstalen het veld begon te ruimen, naarmate het vreemde door 't eigene verdrongen en dientengevolge de nationale ontwikkeling krachtig bevorderd werd, trad in de veertiende eeuw de aristocratie dreigend op, die der vasallen tegen den keizer, die der concilies tegen den paus: eene aristocratie, die de rollen harer voorgangers overnam, maar slechter naspeelde en door wets- en rechtsverkrachting, door regeringloosheid regeerde. Spande ze niet zamen tot in de vijftiende eeuw toe, om vast alle staten van Europa door onzalige burgeroorlogen van een te scheuren? Roept u Castilie voor den geest tijdens de regering van het huis Trastamara, Duitschland tijdens het moorddadige vuistrecht, Engeland uit de dagen der witte en roode roos, Nederland uit die der hoeksche en kabeljaauwsche twisten, Frankrijk onder de geschokte regering van Karel VI! Maar onder en door die ellende waren er intusschen steden en universiteiten, gilden en ambachten, politieke en handelsverbonden opgekomen als particuliere vereenigingen van klassen en standen, die diep gevoelden dat arbeid de zenuw is der maatschappij, dat kunde en vlijt alleen in waarheid onafhanklijk maakt. Daarbenevens brachten het buskruid, de boekdrukkunst en het kompas krijgsdienst, kennis en beschaving, handel en rijkdom in handen van den vroeger geteisterden middelstand. Den val der aristocratie voltooide de val van Constantinopel, die de vorsten van Europa als door een tooverslag de oogen opende over den

reddeloozen en radeloozen toestand hunner gesmaldeelde landen. De ure der aristocratie had geslagen, die van 't absolutisme, den voorlooper der constitutionele monarchie, brak aan. Tegenover de ridderschap werd de middelstand van poorters en dorpers opgebeurd, de eenheid van staat bevestigd, terwijl de koninklijke macht door staande legers en machiavellistische staatssofismen, in Spanje ook door de inquisitie, gerugsteund, tot eene ongekende hoogte het hoofd opstak, vooral sedert de dagen van Hendrik VII van Engeland, Lodewijk XI van Frankrijk, Ferdinand den Katholieke van Spanje, Johan II van Portugal.

Te gevaarlijker voor de nationale vrijheid der volken werd mettertijd die absolute monarchie door hare heerschzuchtige veroveringsplannen. Spanje trad in verbond met Rome op, om het kerkelijk en wereldlijk absolutisme van vroeger eeuw te doen herleven, in een laatsten strijd der roomsch-katholieke tegen de germaansch-protestantsche volkeren, Rome tegen de reformatie, Spanje bij beurten tegen Duitschland, de Nederlanden, Frankrijk en Engeland. Spanje en Rome, die één grafkleed over al de christennaties wilden slaan om zelve in een graf te eindigen, bezweken en moesten wel bezwijken voor de kracht en overmacht der nationale zelfstandigheid, der algemeene beschaving en verlichting, van wereldhandel en volksnijverheid, die op den nieuwen tijd den stempel van echten adeldom drukken. Sedert ook riep de als recht erkende individualiteit der europesche staten, tot schut en scherm tegen willekeurige en onwettige aanranding, het politiek evenwicht en de coalitieoorlogen te voorschijn en blijke er al soms nog niets schommelender dan de politieke evenaar en niets wrakker dan het aangenomen statenstelsel, toch is er meer dan de woorden alleen gevonden; 't is eene behoefte, eene overtuiging en stemme des tijds die er luide in spreekt.

Was door de reformatie de vrije gedachte en de wetenschap herboren; herleefde de maatschappij door al meer en meer de hierarchie en feodale ridderschap met hare lijfeigenschap van ligchaam en geest af te zweeren en af te sterven: de burgerlijke gelijkheid werd ten laatste, na 't voorspel van den noordamericaanschen vrijheidsoorlog, door 't absolutisme zelf zijns ondanks in 't leven geroepen. Door in een eedgespan met adel en geestelijkheid alle rechten te vertrappen, alle wetten en goede zeden te verza-

ken en ten spot te maken; deed het de revolutie met al hare gruwelen als laatste redmiddel der versmoorde vrijheid uitbarsten: de revolutie, die op de puinhoopen van een gesloopt staatsgebouw de eeuwige rechten der menschheid, de gelijkheid der burgers en het stelsel van vertegenwoordiging ten aanhoore van heel Europa afkondigde. Leerde de reformatie de volken vrij te denken, de revolutie leerde ze vrij te leven. Sedert zijn godsdienstige en staatkundige vrijheid geen ijdele hersenschimmen meer; 't zijn waarheden geworden, lang in den schoot der nieuwere staten gerijpt, met verscheurende barensweeën gewonnen en met bloed gedoopt. Onder hare vleugelen hebben voortaan de volken hun eigen lot in handen; onder hare banier betreden zij, vroeger de stomme, nu de hoofdpersonaadjes op het wereldtooneel, de rechte baan; meer dan ooit gevoelen ze zich door hunne nationaliteit; in het volle besef daarvan spannen ze hunne broederlijk vereende krachten in ter behartiging van eigen en algemeene, van stoffelijke en zedelijke belangen, gelijk eene wijze regering hun daarin onbekrompen ter zijde staat. Voor hunne blikken ligt de aarde met hare versnelde gemeenschap tot in de verste hoeken open, de natuur met zoovele harer vroeger verborgen schatten en krachten, de toekomst met hare van hun zelven afhankelijke vooruitzichten en verwachtingen. De vrije mededinging lokt alle gaven en talenten uit en geeft alle hoofden en handen werk. De stem der rede in kerk en staat is niet meer eene des roependen in de woestijn. De openbare meening, de tolk der algemeene volksovertuiging, heeft zich tot eene weleer ongekende politieke kracht en morele macht verheven, die een op den duur onoverkomelijken slagboom opwerpt tegen reactie en restauratie, tegen domperij en dweeperij, tegen monopolies en privilegies, tegen propaganda en proselytisme.

Welk gebruik de mondig verklaarde volken voortaan van hunne vrijheid zullen maken; in hoe verre zij aan de hooge en heilige roeping hun opgedragen zullen beantwoorden, daarover zal te zijner tijd de geschiedenis uitspraak doen, zij, die met een onfeilbaar geheugen hare jaarboeken aanhoudt en met een onverbiddelijke gerechtigheid hare vierschaar spant; zij, die door tallooze verwikkelingen en verwarringen heen het groote drama der wereldgebeurtenissen tot eene heugelijke ontknooping leidt. Zij dan ook al de toekomst verborgen, zooveel staat vast, dat de eerste stap

op het gebied der zedelijkheid gedaan is en dat die te beter beklijven zal, hoe meer voortaan in 't huisgezin de opvoeding, in de maatschappij de arbeid van ligchaam en geest, in den staat de burgerlijke vrijheid aan de eeuwige wetten van 't ware, schoone en goede beantwoordt.

Mocht de geschiedenis eens getuigen, dat ook onze tijd daarin niet achtergebleven is!

Edelgrootachtbare Heeren, Curatoren der groningsche hoogeschool! Mocht ook de geschiedenis dezer stichting eens van mij getuigen, dat ik niet achterbleef in de dienst van 't ware, schoone en goede! Zij U zulks, ook van mijnentwege, eene waardige voldoening voor de zorg die Ge aan hare belangen wijdt! In die hope en doordrongen van de dure plichten der taak die mij wacht, mag ik mij vleijen dat te dezer ure geen stem U aangenamer zal zijn dan die van 't warme plichtgevoel, later geen hulde gewenschter dan die der trouwe plichtsbetrachting, waartoe ik mij met al de kracht van een vasten wil en volle overtuiging verbind. Verre is en zij van mij de waan, als werden door weidsche beloften verplichtingen vervuld of gewaarborgd; en meen ik dies met betuigingen voor de toekomst spaarzaam te mogen zijn, zoo dringt zich toch de wensch op mijne lippen: dat nooit mijne daden tegen mijne woorden getuigen! Verre is en zij van mij de waan, als of ik met deze waardigheid de hoogste eere behaald, den hoogsten lof ingeoogst, den hoogsten trap beklommen zou hebben! Integendeel, op nieuw en meer nog dan ooit gevoel ik den brandenden ijver in mij aangeblazen, om, als priester der wetenschap, tevens haar jongere te blijven, ten einde al dieper en dieper in hare goddelijke geheimen door te dringen en de vruchten daarvan in woorden en daden te openbaren. Het einde alleen zet de kroon op het werk; dat einde beschame mij niet! En voelde ik al ooit mijn ijver verflaauwen, dan zal de gedachte aan de eervolle onderscheiding die mij tot dezen leerstoel riep mij met frissche kracht en volharding omgorden. Dan, zulks verhoede mijn goede geest, door mij, buiten mijne verplichtingen jegens de maatschappij en den staat, ten einde toe die jegens mij zelven te doen gedenken!

Hooggeleerde Heeren, zeer geachte Ambtgenooten! Onder even aange-

name herinneringen als blijvende indrukken en blijde voorteekens zie ik mij aan uwe zijde geplaatst, in uwen kring opgenomen. Aan uwe zijde geplaatst, om met U den bloei der hoogeschool te helpen bevorderen door de belangen harer kweekelingen met naauwgezetten ijver ter harte te nemen; in uwen kring opgenomen, om de uren van ernstige inspanning en studie door de genoegens des gezelligen levens te verpoozen. *Moet* ik mij daartoe nog in uwe genegenheid aanbevelen? ik, door velen Uwer gewenscht, bij allen welkom? *Mag* ik het, zonder U te miskennen, zonder zelf onbescheiden te worden? Beschaamd gevoel ik mij eerder dan stout genoeg om van uwe welwillendheid nog meer te verlangen. Onder U zijn er, die mij aan hunne voeten zagen gezeten en door latere vriendschap de kroon op hun onderwijs wilden zetten; onder U zijn er, die mij in mijne studien, in mijne loopbaan volgden, ondersteunden, bemoedigden; onder U, die in mijne blijdschap zich verheugden, die in mijne droefheid (ook voor zoo kort nog!) als hunne eigene deelden. Bij den wensch dat Ge mij die genegenheid en vriendschap, waarop ik roem draag, voortaan bij vertrouwlijker omgang en gemeenschappelijken werkkring niet onwaardig bevinden moogt, zij U mijn hartelijke dank gebracht!

Ook onze betrekking, edele Jongelingen, sieraad dezer hoogeschool, dagteekent niet van heden of gisteren. Mij heeft ze niets dan genoegelijke ondervindingen geschonken, niets dan zoete herinneringen achtergelaten. Trachtte ik vroeger voor U te zijn wat ik moest, wat ik kon: bij het nader toehalen van den band, bij 't verwijden van den kring mijner werkzaamheden, wensch ik dat in de volste mate te blijven, niet omdat het mijn plicht is alleen, maar ook de behoefte mijns harten. Mij plechtig aan U en uwe belangen verbindende, roep ik tevens met klem uw bondgenootschap in. Ons wacht eene schoone maar zware taak. Overal waar op het veld der geschiedenis onze voet zich zet, is heilige grond, overal het gebied van den geest die door daden van zich getuigt. Begeleidt mij op dien weg met open oog, met vrije borst, met een hoofd verhelderd en met een hart verwarmd door den blijden zonneschijn der wetenschap, om in de lente des levens de zaden van 't eeuwig goede, ware en schoone in U welig te doen opschieten en om bij tijds het heiligdom der waarheid en vrijheid binnen te treden. Deinst niet terug voor naauwgezet, onpartijdig

onderzoek, dat U tot eigen overtuiging, tot vaste beginselen brengen zal. De geschiedenis is geen voorraadschuur van feiten en niets dan feiten, alleen bestemd om 't geheugen te stofferen. In de aaneengeschakelde reeks der groote gebeurtenissen ligt, als in een omhulsel, een geest, een ziel verborgen, in hare verscheidenheid de eenheid, in hare tegenstrijdigheden een hoogere wet, in hare bijzonderheden een organisch geheel. Zoo ooit, dan is in onzen tijd het ware begrip der geschiedenis eene behoefte geworden voor allen; niet omdat onze tegenwoordige maatschappij zich uit het voorleden alleen verklaren en begrijpen laat, maar ook omdat in alle wetenschappen de historische gang en behandeling de eenig onmisbare en meest onfeilbare bevonden is; omdat de voortgaande ontwikkeling van waarheid en vrijheid, die de ziel is aller wetenschap, nergens zich zuiverder in afspiegelt, nergens luider in spreekt dan juist in de geschiedenis. Zuigt ze diep in, hare leuze: veel daden, weinig woorden; zij leere U geringe middelen tot groote uitwerkselen gebruiken en boezeme U de overtuiging in, dat het de geest is die de wereld regeert, de geest Gods in dien van den mensch!

ORATIO

DE

LINGUAE LITTERARUMQUE LATINARUM STUDIO HOC TEMPORE NON NEGLIGENDO,

QUAM HABUIT

CORNELIUS MARINUS FRANCKEN.

DIE VII M. FEBRUARII ANNI MDCCCLVI,

QUUM IN ACADEMIA GRONINGANA LITTERARUM HUMANIORUM ET PHILOSOPHIAE THEORETICAE PROFESSIONEM SOLENNI RITU SUSCIPERET.

28

ACADEMIAE GRONINGANAE CURATORES, VIRI AMPLISSIMI, ET QUI HIS AB ACTIS ES, VIR CONSULTISSIME!

SENATUS ACADEMICI RECTOR, CETERIQUE PROFESSORES, VIRI CLARISSIMI!

ARTIUM ET DISCIPLINARUM DOCTORES ERUDITISSIMI!

EVANGELII INTERPRETES DOCTISSIMI, REVERENDI!

IUVENES LECTISSIMI, ACADEMIAE CIVES EXOPTATISSIMI!

QUOTQUOT DENIQUE ADESTIS, CUIUSCUNQUE ORDINIS ET LOCI, AUDITORES HUMANISSIMI!

Etsi neque Latine dicendi insolentiam praetexere possim, nec debeam aetatem aut occupationem excusare, tamen si me hoc tempore valde commoveri negem, multum a vero absim. Nam quum illa statio vitae, quae me adhuc tenuit, docendi facultatem ut pararem copiam satis amplam dederit, dicendi tamen coram lectissimo conventu opportunitatem raro concessit. Nunc minimus natu ex omnibus vobis, qui ex hoc loco dicere soletis, surgo, parum ab exercitatione ad dicendum instructus, paucis notus; surgo ad illam habendam orationem, quae iure an iniuria specimen eruditionis aut peritiae solet haberi; cuius eventus ut maximam ad commendationem vim habere potest, ita, si iustae exspectationi non satisfaciat, facile in contrariam partem possit verti. Quae dum cogito, sustentat me tamen et recreat vestra, Auditores, humanitas, multis perspecta et cognita. Quae ne hoc tempore mihi desit, eo enisius rogo et expeto, quod oratio mea versabitur in argumento, quod iamdudum in hominum ore et disceptatione versatur, et doctorum studia excitat; in quo pertractando videri possim parum aut novitati aut temporis nostri usibus et ingenio servire. Etenim constat linguam Latinam multorum hodie favore excidisse, querentium nec litteras Latinas dignas esse, in quibus multum etiamnunc

operae ponatur, nec linguam eiusmodi, qua aut loquentes aut scribentes recte possimus uti. In quibus quid veri insit considerare non mihi ab hoc tempore videtur alienum, quo munus mihi ab Augustissimo Rege demandatum auspicaturus sum, quod cum litterarum Latinarum studio proxime cohaeret. Dicam igitur *de linguae litterarumque Latinarum studio hoc tempore non negligendo.* In eo argumento pertractando ita versari constitui, ut de sermone scriptoribusque Latinis singulatim exponam. Et quoniam neque quem locum adhuc in doctrinae studiis tenuerit sermo Latinus, neque quem in posterum sibi vindicare possit intelligi potest sine praeteriti temporis commemoratione, paulo altius adscendam, ut etiamnunc Latini sermonis notitiam eruditis commendandam esse exponam, exquiram deinceps, quid de hodierno eius usu iudicandum sit.

Est haec de studiis litterarum, quae ab humanitate nomen habent, pervulgata sententia, quod quum reliquae disciplinae ad paucos fere pertineant, haec contra nullum non genus doctrinae aliqua certe cognatione attingant. Id quum de Graecis valeat, tum multo magis de Latinis, quae cum fatis et historia culturae Europeae tam arcte cohaerent, ut haec Latini sermonis notitia non patefacta intelligi nequeant. Iam ante renatas litteras Bononiae et Lutetiae et Salerni florebant scholae iuri, theologiae, philosophiae, arti medicae excolendis destinatae, quae quum *universos* reciperent [1]), exteros simul et cives, magistri in lectionibus Latina lingua utebantur, quae ab ecclesia ad id tempus servata et propagata posset ab omnibus intelligi, et omnis eruditionis copiam et instrumentum offerret. Quum autem altius spirare homines incepissent, et constituta libertas civitatum Italicarum novo ardore artium liberaliorum omnes incitasset, Romanorum optimi scriptores e bibliothecarum pulvere protracti exemplaria praebebant poetis, ad quae sua carmina effingerent, et veterum subtilis venustas pepulit scholasticorum spinosas ineptias et halucinationes. Sed dum multa abolita sunt et improbata, quae superioribus saeculis placuerant, tamen illa, quae vere fuerant ab antiquis profecta, manserunt et suam tenuerunt dignationem. Non illa aetas reiecit ARISTOTELEM, quod eius scriptis studia

---

[1]) De nominis notatione cf. v. SAVIGNY, *Gesch. des Röm. Rechts im Mittelalter*, Vol. III, ed. 2ae (1834), p. 412 sq.

dialectica tum improbata superstructa fuissent; non abrogavit studia iuris Romani, quae medio aevo numquam plane evanuerant, et saeculo XII Bononiae egregie fuerant exculta, non PLINIUM, non HIPPOCRATEM, non GALENUM sprevit. Imo tanta fuit et tum et multo post veneratio antiquitatis, ut illi etiam, qui facilius eius luce caruissent, dum veteres aemularentur et diu se iis inferiores putarent, sensim adscenderent eum praestantiae gradum, in quo longe magistris sunt anteponendi. Cumque ii, quibus lingua Graeca parum erat cognita, aut Graeca exemplaria deerant, per Latinum sermonem cum Graecorum placitis et doctrina consuetudinem haberent, recentiores autem linguae parum essent notae, spontè et ipsa rei natura cogente Romanorum lingua per Europam imperium tenuit, quod per superiora saecula habuerat, et primi humanitatis propugnatores ex Italia notitiam antiquitatis et culturae initia per totam Europam spargere potuerunt, quum per linguae communionem omnibus ad interiores scientiae recessus aditus pateret.

Neque sermonis Latini usus iis circumscribebatur temporibus, quae renatum studium litterarum proxime secuta sunt. Renovatis quidem sacris effectum est, ut rudiorum hominum causa recentiores linguae magis excolerentur; tamen tantum abfuit, ut ea re quidquam de honore Latinae detraheretur, ut principes illius aetatis viri, antiquitatis succo nutriti, ERASMUS et MELANCHTHONUS, artibus uterque conscribendis, hic etiam discipulorum frequentia et successu non minus ecclesiae emendationem quam studia Latinae linguae in scholis promoverint. His autem qui mox adversarii exstiterunt Iesuitae multo etiam magis eiusdem sermonis puritatem curabant et sinceritatem. Adeo erat illa de virtute illius linguae confirmata opinio, ut inter viros, qui in plerisque rebus et gravissimis dissentirent, hoc tamen conveniret. In iuris autem disciplina quam altas radices eadem studia egerint, si vobis multis demonstrare velim, vereor ne operam frustra insumam. Ad medium paene saeculum XVI ius Romanum et lingua Latina sine detrimento iuris patrii unice viguit non modo in suggestu professorum, sed in subselliis iudicum; ita certe in Gallia factum accepimus, quae tamen eadem maturius exculti sermonis patrii laudem sibi vindicat; qui quidem sermo quam verecunde et quasi pedetentim ex umbra processerit, vel hinc intelligitur, quod centum annis post orator, qui in regis aula ver-

sabatur, orationes antequam ederet, sibi in Latinum vertendas putavit. In rebus ad omnium intelligentiam accommodatis si tantum valuit Latii observantia, quid miramur, si, quod penes omnes constat, diu inter doctos non alia lingua in honore fuit? Serius nos aliquid novavimus quam Germani, apud quos XVII saeculo exeunte iam a recepto etiam tum usu descitum est, quum Christ. Thomasius in Academia Hallensi recens condita lectiones sua lingua habere instituit, vir pro illo tempore non satis eruditus, ut qui latine nesciret; ceterum si Gesnero credimus satis habuit idoneas causas. Quas tamen maiori iure philosophi Cartesius, Leibnitzius, Wolfius produxissent, qui nihilominus in arduo argumento satis se latine scribendo exercitatos probabant, ut plane quod sentirent possent eloqui. Rectene hi ita fecerint nec ne, nunc non quaero, AA. HH. Fecisse illos, fecisse Grotios, Boerhavios, fecisse a renatis litteris per aliquot saecula omnes, qui ullo eruditionis genere excelluerint, id sane constat; quamcunque artem quis factitabat, earum quidem, quae ad liberalem ingenii cultum pertinerent, ab illa lingua proficiscebatur. Quod si non praesentem tantum suae disciplinae usum homines doctos spectare oportet, sed initia etiam et progressus, ut praeteritorum memoria tum recentioris temporis existimationem afferat, tum commoneat de vitiis olim et saepe commissis, quam linguam prius et disci et excoli convenit, quam quae non unius aetatis uniusve populi finibus continetur, sed tam arcte cum humanitate cohaeret, ut ad omnis eruditionis cunabula viam aperiat?

Profuisse antea Latinam linguam doctrinis, hodieque in historia litterarum non negligi debere satis, opinor, apparet; eiusdem vero usus num etiamnunc sit necessarius aut utilis adeo et fructuosus, a multis ambigitur. Nimirum acerrima contentione subinde de ea re pugnatum est; multi philologi, tanquam pro aris et focis certarent, hanc sibi causam suscipiendam putaverunt. Ego (fatebor enim) neque ab illa re salutem studii nostri pendere existimo et frustra puto pugnari, siquidem aliarum disciplinarum cultores nostrum iudicium non exspectant, sed faciunt, quo illos necessitas aut animus impellit; suis se verbis libere uti malle dicentes, quam orationis membra quasi ponderosa lorica circumdare, de rebus solliciti, elegantiam Latinitatis minus curantes. Veruntamen quum multa possint et soleant pro Latina lingua dici, et multi sint, qui philologis certe

illam commendent, denique quamcunque artem quis profitetur, hoc a veritatis cultoribus exspectari debeat, ut ne inconsiderate reiiciant, neve temere spernant, minime id hoc tempore detrecto, ut possitne usus Latinae linguae retineri, quibus etiamnunc utilis esse explorem. Si forte hinc efficiatur, ut a recepta opinione discedendum sit, et imperium, quo Latina lingua olim gaudebat, partim iure ei abrogatum videatur, habeo tamen quod sequar, et cum PLATONE iudico, ὅπῃ ἂν ὁ λόγος αἱρῇ ταύτῃ ἰτέον εἶναι, nec tacendum puto, ne quando philologi, dum nimia sibi arrogare videantur, iustis etiam postulatis excidant.

Omnes omnium nationum eruditos una lingua loqui et scribere, ita demum est utile, si plane omnes et facile quae sentiunt hoc velut instrumento inter se communicare possint. In verbis si laboratur, si qui loquuntur adeo a patrio sermone pendent, ut cogitata cum nativa illa lingua quasi coaluerint, magnum habet impedimentum peregrinae linguae usus. Non potest fieri, ut suam quis linguam verbum de verbo reddens intelligatur ab exteris, a quibus se intelligi velit; et vere dici solet, qui externa lingua recte velit uti eadem cogitet necesse esse, quo intelligunt, debere illum aliquamdiu certe illud ingenium induere illamque cogitandi viam et rationem inire, quae populi propria sint, a quo sermonem mutuetur. Scite iam ENNIUS ille „tria se corda habere" dixit, quod tribus linguis „loqui sciret." Etenim mores populi et ingenium quasi in cera molli, in lingua expressa conspiciuntur; eaeque notiones, quae sunt maxime singulis gentibus familiares, facillime earundem linguis enunciantur. Itaque quo maiorem similitudinem populi habent inter se, eo facilius alter alterius lingua utetur. Nulla vero gens quum sit, quin habeat notiones quasdam singulares, tam accurate ipsius lingua expressas, ut quaevis alia in his deficiat, non potest inveniri sermo, qui universorum desideriis plane satisfaciat; proxime tamen ad illam praestantiam accedet, qui sit divitissimus et sive compositionis facilitate sive flexibilitate nova verba facillime assumat. Iam vero, si ad hanc normam Latinum sermonem exigamus, usibus linguae communis minime potest satisfacere. Constat numerum satis magnum verborum, quae possent salva analogia formari, fuisse spretum; quam cautus in vocabulis fingendis fuerit princeps e Romanis oratoribus nemo nescit. Verba compositione novata respuebant fere Latini et poetis relinquebant,

qui, quo magis lingua fuit a scriptoribus exculta, eo minus illa licentia usi sunt. PLAUTO et CAECILIO maior fuit in eo genere libertas, quam VIRGILIO et HORATIO, quam pedestris orationis scriptoribus. Accedit, quod novare aliquid ad praesentem usum in lingua antiqua res est difficillima, idque raro nec nisi peritissimis conceditur. Neque iniuria; longe enim facilius est ingenium sermonis, quod sciat necesse est, qui nova ficturus est verba, e viva populi voce efficere, quam ex litterarum umbris divinare. Itaque vulgo recurritur ad vocabula Graeca, aut ad remedium, quod damnum numquam potest resarcire, ut verborum circumitione utantur. Si quis dubitet, evolvat legislatores hoc in genere, iam a NOLTENIO illo satis superque noto, cuius Antibarbarus nubem exemplorum offert. Inde diffluit oratio, aut „fluit lutulenta, ut sit quod tollere velis," si utique malis aliquid relinquere, quam totam abiicere.

Et toto coelo recentiores linguae a Latina differunt. Si fieri posset — quamquam quomodo possit, non video — sed si fieri posset, ut optimus quidam Latinitatis iudex singulis rebus, quae antiquis ignotae fuerunt, nomina poneret, in cuius auctoritate reliqui acquiescerent, tamen ut color linguae servaretur prorsus necesse esset. Hoc vero quam sit difficile iis, qui parum temporis Latinis libris dare possint, neque toti esse in antiquis, facile mihi AA. concedetis, si reputaveritis, usitatissimas etiam nobis notiones, praecipue rerum *abstractarum*, suis verbis apud Romanos caruisse. Non tam mihi difficile videtur propria artium vocabula (*technica* vulgo dicunt) Latine efferre, quam adeo succo antiquitatis nutritum esse, ut alteram illam verborum supellectilem non desideres.

At hoc loco, quid mihi obiecturi sint nonnulli, facile praevideo. Si tanti laboris est Latine scribere, qui fieri potuit, ut inde a renatis litteris tot viri Latine scripserint? An omnes hi male scripsisse existimandi sunt? Bene scripsisse non multos puto, sed clare, perspicue, subtiliter quam plurimos. Hoc vero quare nunc minus facile possimus assequi, paucis est declarandum.

Una erat olim quasi respublica virorum doctorum, eiusque civitatis communem linguam facile quisque discebat. A teneris quum veluti saluberrimo mentis nutrimento illa imbuerentur, non magis lingua sententiis, quam cogitata sermoni se accommodabant; eius non sentiebant inopiam, copiis

fruebantur. Pueri iam ducibus CORDERIO et ERASMO Latine exprimere discebant quae illa aetas maxime curat; adolescentes quae legebant, erant Latina; viri cum iis, quorum iudicia unice cordi illis erant, quorum consuetudine magis etiam quam suorum hominum delectabantur, per linguam Latinam usum habebant et familiaritatem. Testantur crebrae doctorum virorum migrationes, quas nemo tum gravabatur, si bonas artes in exteris discere aut profiteri posset, testantur SCALIGERI, LIPSII, VOSSII, aliorum epistolae, quam frequens commercium viros remotissimos inter se conciliaverit. Multi exteri Academias nostras frequentabant, a nobis exteri ad summos honores vocabantur, si maiori cum emolumento quam nostri homines studiorum duces esse possent. Inde magna pars philologorum, qui suam gloriam cum nostra copulantes nomen Batavum per totam Europam laude cumulaverunt, peregre oriundi erant. IOSEPHUS SCALIGER patria Gallus, WYTTENBACHIUS Helvetus fuit; Germania nobis misit IOHANNEM FREDERICUM GRONOVIUM, GRAEVIUM, RUHNKENIUM. Hi igitur omnes suae linguae paene obliviscebantur, eratque iis Latina pro patria. Quod si qui minore erant peritia, tamen facile tantam sibi sermonis illius parabant facultatem, ut de iis rebus, quae in disceptationem doctorum veniunt, copiose possent aut apte ad intelligendum exponere.

At quantopere nunc haec mutata sunt! Magni facimus etiam nunc cuiuscunque nationis homines de doctrinis bene meritos, et summorum ingeniorum excellentia numquam non illecebris suis admirationem et amicitiam invitabit. Sed tamen facile nunc, etiam in doctis ipsis et libris, quos publici iuris faciunt, proprium nationum, quarum sunt, ingenium perspicitur, Germanorum severa gravitas, Gallorum levis dulcedo. Quae universitates olim sui iuris et quasi extra civium communionem erant collocatae, nunc a civitate pendent, eiusque usibus inserviunt. Ex quo litteris antiquis succreverant recentiores, et humanitas latius sparsa homines etiam de populo munere suo beaverat, moresque et instituta et studia Germanorum populorum temporis diuturnitate emendata materiem praebuerant dignam, in qua summa ingenia elaborarent, fieri non poterat, quin eruditi aliquatenus se popularium studiis accommodarent, ut non solum doctis sed excultis etiam cuiusvis ordinis hominibus prodesse conarentur. Non satis erat Latine scire, postquam indocti quoque qui olim fuerant habiti, quod

Graecam et Latinam linguam non noverant, multa in lucem protulerant, quae nemini impune licebat ignorare. Inde quid factum sit, videtis. Eruditi hodie non tam cives sunt reipublicae litteratae, quam suae civitatis; et distracta illa societate aut labefactata, communis lingua, qua cives olim inter se utebantur, neglecta iacet, eoque ipso tanto impeditius est de rebus ab antiquitate alienis disputare aut scribere, ut, quamvis laudandi sint, qui possunt, tamen id ab omnibus postulare iniquum videatur.

Suspicor, AA., futuros qui quaerant satisne commodis eius disciplinae prospiciam, cuius causa mihi pro viribus tuenda imposita est. Si auctoritatibus pugnandum est, licet mihi duo nomina proferre, quae multorum instar sunt, WYTTENBACHII et MADVIGII. Quorum alter iam abhinc septuaginta annis perspexit, Latine scribendi facultatem ab aliarum disciplinarum Professoribus non esse aut postulandam aut exspectandam[1]); alter omnem Latinae orationis exercitationem non posse hodie aliud momentum habere, quam ut linguae naturam et proprietatem clare quis animo repraesentet[2]). A quo non multum differt NIEBUHRII sententia, qui quum Latini sermonis exercitationem tironibus commendet[3]), tamen ipse prudenter eo abstinuit. Cuius exemplum iure sequuntur, qui in historia exponenda, ut ille solebat, sic versantur, ut recentiorum vocabulorum et rerum comparatione antiquitatem illustrent, neque se in Latium, sed Latium ad nos transferunt. Equidem, AA. HH., quid a Theologiae et Iurisprudentiae cultoribus fieri possit, aliis malo iudicandum relinquere, qui rationem illorum studiorum probe norunt, quam fidenter pronunciare. Quamquam in argumento non ab antiquitate remotissimo, cuiusmodi multa sunt in utroque studiorum genere, quidni possit antiquo more stari non perspicio, quum praesertim nostra lingua arctis contineatur finibus et fere ab exteris negligatur; sed a philosophis et medicis illum morem omissum esse, tantum absum ut improbem, ut e contrario hoc ipsius Philologiae commodo putem inservire. Hoc enim iure sibi postulant philologi, ut qui Latine, bene scribat. Perversus sermonis usus magis nocet, quam nullus omnino, si-

---

[1]) *Bibl. Crit.* Vol. III, p. 2, p. 112, sq.

[2]) *Bem. zur Lateinischen Sprachlehre*, p. 12.

[3]) Pag. 139, 161, sqq. libri, qui belgice inscribitur: *Niebuhriana*, *uitgegeven door* K. G. JACOB. *Leeuwarden*, 1840.

quidem qui male scribendo assuescunt aut legunt male ab aliis scripta, sensum venustatis et elegantiae Latinae amittant necesse est. Saepe quae olim docti scribebant, non erant Latina, sed propria quadam lingua conscripta, de qua tacito consensu inter eruditos convenerat. Quam consuetudinem si quis suae disciplinae causa revocatam velit, ut, si minus ornate aut Latine, plane tamen et dilucide cum exteris communicare possit, quae velit, aeque hoc nobis ferendum est, ac si alio sermone omnibus noto velit uti; Philologiae vero causa non debeo optare. Pluris facio veteres, quam ut ea de causa lectos velim, ut quis aliquando male scribere possit. Ac si illa re studium antiquarum litterarum esset sustentandum, desperandum profecto esset de causa, quae tali auxilio indigeret.

Adhuc expositum est, AA., de studio linguae Latinae non temere aliquantum imminuto. Hinc vero si quis efficiat, morem Latine loquendi et scribendi prorsus esse abrogandum, plane me dissentientem habebit. Optabile mihi videtur, ut in argumentis cum antiquitate nexis usus ille maneat in theologia et iurisprudentia, in philologia plane necessarium. Qui bene scribit et Latine, is est dicendi artifex. Atque haec ars a viris doctis pluris fieret, nisi nocuissent ei studia inconsiderata litteratorum quorundam, qui nimia Ciceronis admiratione incensi nihil analogiae, nihil reliquis auctoribus tribuerunt si Ciceronis auctoritas abesset, et tam diligenter eius verba, metaphoras, sententiarum structuras et numeros sunt rimati, ut omnium esset una orationis forma et proprium singulorum ingenium in scriptis vix internosceretur. Veruntamen quot sunt argumenta, de quibus ille ne cogitavit quidem! Ad quae pertractanda ne circumitione elumbi orationis nervi eliderentur non erant repudianda aliorum vocabula. Sed fuerunt, qui parum illud reputantes librorum Tullianorum centonibus immenso labore collectis quasi musivum opus facerent, in quo

lepide lexeis compostae, ut tesserulae omnes
arte pavimento atque emblemate vermiculato.

Ab Italis, qui Leonis X tempore Romae erant, haec ars profecta est, qua quidem ita gloriabantur, ut quotquot extra Italiam nati essent eruditi, naso suspenderent adunco, et auderent barbaros vocare, quod latum unguem a Cicerone differrent, praeter unum Longolium, qui quidem, ut ad Ciceronem se conformaret, per quinque annos non alium librum ullum

evolverat. Et erant illi eximii viri tanta stultitia an furore, ut nullum vocabulum nisi ab illo usurpatum sibi permitterent, ut exempli gratia *Turcarum* reges dicerent reges *Thracum*, quia CICERO Turcas non novisset. Quanto rectius QUINCTILIANO praebuissent aurem de putida CICERONIS imitatione monenti, quam nugas illas canoras sectati essent, quae et antea ANGELO POLITIANO[1]), et post optimis philologis bilem moverunt. Graves illi sed meritas poenas dederunt ERASMO, utpote digni in quos iactaret Horatianum illud *O imitatores servum pecus!* Neque tamen postea defuerunt, qui unum CICERONEM mordicus ad imitationem tenerent, et, si quando verbum incidisset illi ignotum, summopere gravarentur. Ex quibus centum annis post LEONEM INCHHOFERUS quidam, ceteroquin obscurus homo, quasi divino instinctu affirmavit „beatos in coelo Latine locuturos." Et ERNESTII, quamquam longe ab his ineptiis abest, tamen diligentia hoc in genere nimia fuit. Ac vellem hoc tempore omnis illa Ciceroniani stili affectatio abesset; sed vereor affirmare. Plures nunc sunt censores quam scriptores; inde fit, ut qui ipsi numquam aut male Latine scribant, si quando alterius scriptum oblatum est, tam avide in errores involent, ac si summa res publica agatur. Ita facile deterrent a scribendo eos, qui nulla necessitate ad Latine scribendum compelluntur. Ex illorum ineptiis illud est, quod non *Christiana religio* sed *Christiana doctrina* dicendum affirmant; *classicos auctores* tibi non permittunt, sed *classicos auctores qui vocantur*, nimirum ut significes, scire te, GELLII tantum auctoritate illud vocabulum defendi; et quamvis studiosissimi Tulliani verborum circuitus et ubertatis, tamen *periodum* et *cicumlocutionem* vix admittunt. Sed imprudens iam in plagas, quas illi tendunt, incidi, quum dicebam posse quemquam *male Latine scribere*, et *auctores* loquebar. Quocirca quantocius ex his ego angustiis emergo. Et vereor ne graves petulantiae poenas subeam.

CICERONIS virtutes, AA., ut summae, ita vitiis proximae sunt. Orator est unus in paucis egregius, sed ubique et nimis saepe orator. Est in epistolis etiam, ubi ornatum habeat quendam sibi proprium ac paene dixerim naturalem, quia non inter scribendum studiose ab illo quaeritur,

---

[1]) Cf. MENCKENII *hist. vitae Ang. Polit.* Lips. 1736, p. 197. De Inchofero cf. WALCH, *hist. crit. Latinae linguae*, Lips. 1729, p. 212.

sed sponte se offert, longoque usu et exercitatione paratus cum illius ingenio coaluisse et in naturam transisse videtur. Nam quum a prima iam aetate in dicendi artificio operam posuisset, structuram et delectum verborum ex rhetorum praeceptis moderatur; oppositione delectatur et distributione; accurate sententiarum partes exaequantur et numerose cadunt periodi, et flumen magnificentissimorum verborum invitos nos rapit et aufert. Verum idem ornatus si in re tenui usurpatur, puerilis est et ridiculus; ubi qui nihilo minus illum adhibent, oblivisci videntur primariam esse oratoris virtutem, ab ipso CICERONE graviter commendatam, ut apte dicamus et rei convenienter. Postulat etiam aut excusat cura perspicuitatis in oratore, quae in scriptore non aeque feruntur, velut quod duo vocabula consimilis notionis coniunguntur, quo simul rotunda sit verborum complexio et orationis membra aequentur. Omnino vere mihi naturam eloquentiae Ciceronianae perspexisse videntur, qui dixerunt CICERONI nihil posse adiici quemadmodum DEMOSTHENI nihil demi. CICERONI si quid ornatus addideris, in levioribus comtior erit oratio quam robustior, et subinde prope ad suaviloquentiam Isocrateam accedet; in argumentis gravioribus tumidus videbitur et inflatus. Sed ut multa Dircaeum levat aura cycnum, quae Matinae api non est optanda, sic summum Romanorum oratorem in concionibus et senatu maiori spiritu ferri par est, quam nos, quibus linguae Latinae usus magis est palaestrae et olei quam civilis contentionis. Et sunt in ipsis veteribus, qui de patre eloquentiae Romanae non omnia egregia senserint. Nonnullis "inflatus et tumidus, nec satis pressus, sed supra modum exsultans et superfluens et parum Atticus" videbatur[1]). Tribuatur hoc partim invidiae; at partim recte iudicasse censendi sunt, qui minime illum cum Atticorum sobrietate esse comparandum, et quodammodo saeculi sui ingenio litasse, ut ab Asiatico dicendi genere non procul abesset, existimarint.

Quorsum igitur haec? Ut nimirum intelligatur, quam perverse a nonnullis Latine scribentibus reliqui veteres prae TULLIO contemnantur. Procul. abest, ut qui naturae quadam consensione cum CICERONE conspirans, hunc in orationibus non putida diligentia, sed ipso ingenio ducente et viam commonstrante imitetur, spernendum putem; sed idem admiror non minus

---

[1]) *Dial. de Oratt.* c. 19.

Wyttenbachios, qui nativo quodam candore, sinceritate, hilaritate tam facile scribunt, ut nihil sit, quod ab alio melius et planius dici potuisse videatur. Omnino distinguendum puto sermonem Latinum ab elocutione Tulliana; et aemulandus potius est Cicero quam imitandus; ita indicio adhibito si quando elabi sibi quid passus est, quod in alio non probaretur, aut si filum orationis Tullianae minus cum argumento nostro congruit, non est in exemplum sumendus, ne opera nostra sit parum erudito homine digna, neve oratio prudentium virorum irrisione ludatur. Nostra aetas, si quid video, ab orationis fuco et lenociniis et magna sonantibus verbis abhorret, et quemadmodum in vita quotidiana titulos et ostentationem fastidit, ita verborum fucum et ambitiosa ornamenta spernit atque contemnit.

Ita si in Latine scribendo versamur, non vereor, ne id aut philologis inutile aut huius temporis rationibus alienum videatur. Semper quidem ad hunc finem Cicero lectitandus erit, sed non quo Tulliana dicendi forma et χαρακτήρ (stilum nunc dicunt) omnibus communis esse debeat — aliis hic est alius et pro singulorum ingenio diversus — sed quod Cicero certissimus est auctor Latinitatis, et optimi temporis lingua ex hoc plane potest cognosci. Neque vero propterea reliqui scriptores philologo sunt negligendi; quos quum diligenti lectione cognoverit, ita paratus ad scribendum accedet, ut accurate, quid argumentum et opportunitas postulent, pensitans, non anxius in verborum delectu, nec elegantiarum et ubertatis inanis captator, plane et pure dicat, quae sentit. Neque lectio scriptorum eo consilio suscipietur, ut quis Latine scribere possit, neque tamen fieri potest, quin e scriptorum perpetua et diligenti lectione redundet et fluat oratio, quae Latina sit, et naturali lepore et venustate sponte legentibus commendetur. Qua qui utuntur, optime demonstrant, penitus se veteres percepisse, et, quod aiunt, in succum et sanguinem vertisse; quod quidem ut faciant philologi, postulari solet et debet. Qui vero lectionem negligit, illi Latine scribere est Herculeus labor, atque haud scio an nulla sit alia causa, cur Latine scribendi studium nunc a multis spernatur, quam quod scriptores Latinos negligant. Quod quo iure fiat, videndi iam nobis locus erit, deinceps dicturis de scriptoribus Latinis ex veritate aestimandis; in quo primum exponendum duxi, quomodo Latini scriptores possint et debeant tractari, ut universae eruditionis sint προπαιδεία et quasi vestibulum.

Neminem, AA. HH., facile fugit, quanta mutatio et quasi conversio in humanitatis studiis hoc saeculo facta sit. Qui olim in coelum tollebantur scriptores veteres nunc ab aliis temere negliguntur, ab aliis recentioribus litteris aut naturae pervestigationi locum cedere iubentur. Sunt in his lenes reprehensores, sunt acres etiam vituperatores; quibus respondere quum alii et saepe et egregie conati sint, id mihi hodie propositum non est, et vereor, ne frustra sit. Etenim quid prodest aut conqueri aut litigare, si nihilo minus apparet, quod nemo negaverit, illorum sententiam tam late serpsisse, ut iam institutionis ratio huic quodammodo apta sit et accommodata? Sensim paulatimque eo res devenit, ut recentiores litterae comites veteribus se praebuerint; et iam initia cernimus philologiae recentioris, quae etsi numquam poterit solidam veramque mentis animique exercitationem offerre, quam vetus illa iure sibi vindicat, tamen non comparari debet cum futili illa et desultoria librorum quam diversissimorum lectione, quae, si dis placet, nomen studii et intentionis interdum sibi arrogavit. Physica autem et mathesis ita iam propagatae sunt et agunt in vita, ut hominem eruditum earum rudem et plane imperitum esse vix deceat. Ergo qui etiamnunc sermoni Latino eum locum in liberalibus artibus et institutione tributum volunt, quem ante hos quinquaginta et amplius annos tenebat, operam perdere videntur; qui vero huic aut recentiores litteras substituunt, aut disciplinas, quibus ab *exacta* pervestigatione nomen, non satis illi reputare videntur, quam salubrem intentionem et quasi palaestram mentis praebeant veteres, quantopere elegantiam iudicii et sensum venustatis adiuvent et corroborent. Mathesis ego et physicae artes si minus usu et exercitatione, at voluntate tamen amplector; sed ridiculus fuerit, qui venustatis et decori sensum his emendare velit; *ratiocinandi* prudentiam alunt. Recentiores autem litteras nemo philologus contemnit, at ipsa facilitate intelligendi iudicium minus acuunt; *suavitate* delectant. Utrumque praestant veteres, quod et ad remota tempora mentis aciem revocant et intendunt, nec decoctam et levem sed solidam suavemque voluptatem degustandam offerunt et percipiendam. His quo quis intentiorem curam impendit, eo maiore remunerantur oblectamento et voluptate, docti gravitate non indigna et cum insigni sapientiae, humanitatis, elegantiae fructu coniunctissima.

Atque utinam ne divulsa fuissent, quae natura cohaerent, interpretatio-

nem dico arte critica et grammatica fultam, et iudicium de scriptorum virtutibus vitiisque. Male audiunt apud philologos *aesthetici* qui vocantur, quod saepe, parum vel a linguae scientia vel a ratiocinandi prudentia instructi, in veteribus interpretandis nusquam non elegantiam et lepores venentur, et exclamare malint *quam belle! quam eleganter!* quam sobrio sanoque iudicio singula ponderare. At alii artem criticam et grammaticam unice factitantes elegantiae existimationem, quasi infra se positam, despiciunt; quos persuasum habeo equidem optime sane naturam et ingenium scriptorum perspecta habere, sine quibus critica ne cogitari quidem potest, et recte existimare, aestheticam illam, si in interpretando ubique adhibeatur, putidam fieri et insulsam; at e contrario libros veterum edentes nollem, quod nunc quidam faciunt, omnes sequi, ut omni disputatione de consilio scriptoris et argumenti tractatione omissa, annotationem tam angustis finibus circumscribant, ut nil paene, nisi alios *caecutire*, qui verbi cuiusdam aut locutionis usum non perspexerint, *ineptos* esse, qui vulgatam lectionem defendant, *monstra* esse verborum, quae alii aequo animo tulerint, notent. His oppositi perpetui laudatores, qui praestantiam scriptorum unice stupent, ingenii carent acie et dexteritate divinandi, eoque errant quod nimium artificium scriptori, quem interpretantur, obtrudunt. Nimirum qui tantum elegantias volunt videre, ii tandem aliquando multa vident, quae nos vulgares homines fugiunt; ac si plenam antiquitatis et linguae notitiam non afferunt, absurdi sunt et vix ferendi. Alteri vero solis scribunt philologis; at si omnes his scribant, mox ea spargetur sententia, ut antiquae litterae his relinquendae sint.

Apud nos quidem, AA., non est quod affluentiam elegantiae sectatorum conqueramur. Ingenii nostri gravitas prohibuit, quominus ad ineptias delaberemur; quamquam vellem, quemadmodum ad vitia notanda, sic ad venustates percipiendas acumen mentis intenderemus. Apud Germanos qualis fuerit Wielandus, qualis Heynius, nemini potest latere; quos secuti Iohannes Henricus Voss, Dissenius, Duentzerus, ostenderunt illi exemplo suo, quam lubrico in genere versarentur, amorem tamen veterum in suis auditoribus aut lectoribus excitarunt, et saepe labentes digitum tamen ad fontem intenderunt, unde suum honorem his litteris in vulgo eruditorum restitutum iri sperem. Sed quae libertas iudicandi in alia parte philologiae regnat, eam hic saepenumero desidero; et peccant, nisi omnia me fal-

lunt, illi viri, quod poetas severioribus adstrictos legibus esse volunt, semperque ad suas res respicere, eoque a perspicuitate in explicando aberrant. Neque enim potest eius laus ullum in lectore momentum habere, qui perpetuo laudat; nec quod ipsum est implicatum et perplexum unquam explicatio potest audire. Ab utroque vitio si cavissent, optime respondissent aequalium desideriis neque in philologorum incurrissent reprehensionem.

Ne tamen, AA. hoc in eam partem accipitote, ac si grammaticae et criticae disciplinas elevare velim. Has alii contemnant, qui oderunt quae non intelligunt; ego quam maxime persuasum habeo, quo pleniore quis grammaticae sive linguae notitia instructus scriptores pertractet, eo altius eorum venustatem sentire. Verum est hic quoque modus in rebus. Non debemus in verbis unice laborare, non bono scriptore abuti, ut copiam habeamus pertractandi quaestiones grammaticas; sed antiquitatis est notitia afferenda, ut animo ad scriptoris aetatem redire possimus; tum videndum, quid scriptor suo debeat tempori, quid ipsi proprium sit; quid bene sit dictum, quid secus; quare alia nobis placeant, displiceant alia; quid reliquis sui generis praestet. Maxima haec fateor et vix vel philologo assequenda! At ni gustum quasi quendam huius rei percipiant tirones, plerique, et iure quidem, frustra se litteris humanioribus operam dedisse putant. Qui ad alias disciplinas transituri aliquamdiu apud philologos devertuntur, non faciunt id, ut ad scriptorum veterum emendationem se praeparent, qua arte paene omnes carere possunt, nec tantum ut Graece Latineque discant ad eum finem, quo aliquando ad disciplinae suae initia aditus pateat: — etenim aliis ad id perpauca sufficerent, alii nihil omnino desiderarent; — sed ideo haec litterarum studia omnibus praescripta sunt, ut omnes, quantum quidem eius fieri possit, veteres scriptores intelligant, quos tanquam amussim et obrussam adhibeant in reliquis aestimandis, quibus elegantiam iudicii augeant, denique proficiant ad humanitatem. Quam quum dico, non intelligo fucatam nescio quam elegantiam, sed quae ex intimo pectore proficiscatur; qua virtute qui ornatus est, lubentius agnoscit laudabilia et amat, quam vitia notat; et, quamvis strenuus veri et decori propugnator, neque obiurgat, neque sua unice prudentia confidit et multorum exemplis edoctus veniam habet erranti.

Humanitatis illius non minus Horatius apud Romanos, quam apud Graecos, in reliquis dissimillimus, Plato est. Illius non scriptores tan-

tum veteres sed sermo etiam uterque formam quandam et imaginem repraesentat. Sed aliarum disciplinarum studiosis eo mihi Latinorum scriptorum lectio aliquanto magis videtur commendanda, quod eorum intelligentia magis est omnibus parabilis. Graecorum tantam consuetudinem habere, ut in singulis verbis non haerens penitus sententiam et mentem scriptorum percipias, non est ita facile ut quivis attingere possit. Equidem novi qui, quum vix XENOPHONTEM intelligerent, tamen de PLATONIS SOPHOCLISque praestantia ac sublimitate dissererent; quorum ratio tantum ab humanitate diversa est, quantum arrogans impudentia a verae scientiae modestia. Et tamen vehementer est, quod dubitemus an qui per biennium aut minus, aliis quoque optimis sane artibus destinatum, in Academiis litteris operam dent, non plane difficiliores Graecos possint intelligere. His equidem TERENTIUM et LIVIUM et HORATIUM non minus commendandos puto quam ARISTOPHANEM et THUCYDIDEM et PLATONEM; horum usum si quem sibi paraverint, vereor ne sit ad tempus et in vitam non transeat; illos ita poterunt pertractare, ut optimas sententias firmiter mentibus imprimentes, eorumque suavitatem et elegantiam penitus degustantes in animum recipiant.

In Graecis *singulorum scriptorum* animus cogitandique et loquendi ratio magis conspiciuntur; *populi* ingenium in omnibus Romanis clarius elucet et splendet. Inde fit, ut horum maior sit inter se similitudo et facilior intelligentia. Spirant omnia illorum scripta Martium illum animum, quem nemo melius expressit quam VIRGILIUS nobilibus illis versibus:

Excudent alii spirantia mollius aera —
Credo equidem — vivos ducent de marmore voltus,
Orabunt causas melius coelique meatus
Describent radio et surgentia sidera dicent:
Tu regere imperio populos, Romane, memento;
Hae tibi erunt artes, pacisque imponere morem,
Parcere subiectis et debellare superbos.

Hic igitur intrepidus et paene dicam regius animus temperatus gravitate, altitudine, pietate tum linguae spiritum addidit et nervos, tum ita in scriptoribus dominatur, ut, quamvis in aliis festivitate vernacula conditus, in aliis ad scribentis consilium compositus, facile tamen in omnibus agnoscatur et percipiatur. Poetae autem Romani sive delicias vitae rusticae et agrorum amoenitatem ob oculos ponant, sive amoris curam et sollicitu-

dinem describant, multa habent, quae non tam sunt sui quam omnis temporis et populi; humane qui sentit, etiamsi parum in antiquam vitam se insinuaverit, haec comprobet necesse est.

Et vero habet hoc historia Romana, ut multo facilius ad illa tempora cogitatione redeas, quia Romanorum una est civitas multo magis sui similis et cognita, quam multae variaeque civitates, per quas Graeca natio sparsa fuit. Prope ab ortu rerum Romanarum usque ad imperium constitutum civitas in uno consilio perseverat. In Samnitico bello et in Punicis eandem illam magnanimitatem et pietatem nullis periculis succumbentem animadvertas, quae neque cum libertate amissa statim exstinguitur, et quasi conscia muneris cuiusdam sibi divinitus impositi imperium in remotas extendit oras, cui nihil nisi terminus mundi obsistit. Iuris aequitatisque norma constans; regiminis autem forma, sensim illa temporibus accommodata, multa tamen retinet antiquitatis vocabula et instituta. Eademque similitudine lingua Latina paulatim sane conformata est et efficta ad exemplar Graecorum, multo tamen minorem habet temporum et dialectorum varietatem. Quibus si addideris, quod Romanorum cultus et humanitas multo nos propius attingunt et in vita et linguis populorum Germanorum multo altiores radices egerunt, quam Graecorum, intelligetur, spero, eos, qui vitae tabernaculum in litteris non ponant, aliquamdiu in Latio non minore cum fructu quam in Attica habitaturos.

Ostendi, AA., quum de linguae Latinae hodierno usu disserebam, non iam Latinos auctores eo consilio legendos esse, ut facultas Latine scribendi et loquendi paretur; e contrario exercitatio scribendi ad intelligentiam scriptorum instituenda est. Quod si recte est dictum, habet hanc vim, ut prae Cicerone reliqui non sint negligendi, si qui minus Latinitate commendentur, at ceteroquin sententiis et rerum dispositione egregie placeant. Non est, me iudice, quod Ciceronis opera philosopha Taciti Annalibus anteponantur, nec Ciceronis ipsius Epistolae, quas constat minore ἀκριβείᾳ scriptas esse, negligantur propter Orationes. Sed non multa verba haec res desiderat. Factum bene in Latinis scriptoribus (magis id quam in Graecis) quod, a Tacito si recesseris, omnes qui materia sententiisque maxime commendentur, optima quoque sunt orationis exemplaria. In Terentio (quem propter argumenti tractationem vix poetis

annumeres) puram habemus et tersam Latinitatem, omni ornatus tanquam veste detracta; SALUSTII obsoleta verba facilius quis vitabit, quam concisam aemulabitur brevitatem; LIVIUS si propter Patavinitatem notatus est a POLLIONE, tam est obscurum hoc crimen, ut coniicere tantum non statuere de eo liceat. Unus autem TACITUS, etsi scribenti non est imitandus, nihilo minus legendus est et sedulo pertractandus. Praestat enim aliquid poetici coloris contrahere, quam illum non novisse. Omnino Romani historiarum scriptores tanta in descriptione excellunt et perspicuitate et brevitate, tam clare Romanorum res in illustri positas monumento intuendas dant, ut si nihil e naufragio litterarum praeter hos esset servatum, tamen Latinam linguam didicisse neminem poenitere deberet.

At poetarum Latinorum opera, dixerit aliquis, constat e Graecis imitatione expressa esse. Scio, AA. Est haec vetus neque iniusta prorsus, sed nimis decantata criminatio. Miror, qui hoc ad nauseam repetant, non protinus RACINII fabulas, GOETHII Iphigeniam abiicere. Si quis egregios poetas nocturna versare manu, versare diurna solet, fieri non potest, quin multa scribenti etiam invito et inscio se offerant, quae etsi sunt ab aliis profecta, ita tamen sint novata, ut propria illius dici possint, et recenti nitore spirent, unde perexigua laudis pars ad primum inventorem redeat. Illos mirere, qui quum aequo animo ferant, recentiores carmina refercire rebus, quas ipsi numquam viderunt, ut scilicet comparatione ignotarum rerum res saepe visas et notas illustrent, hos igitur, quod semel VIRGILIUS de scena comparationem sumserit, nescio quas tragoedias excitare. Non defendam, si qui sint pulchro in corpe naevi. Tantum affirmo, si recentiores poetae tam minutam et ingeniosam crisin subeant, quam veteribus his postremis annis adhibitam esse novimus, vix ullum integrum evasurum. Quid vero? si constat, poetas Latinos orationis tenore et ornatu mirum quantum a Graecis differre? Quid, si exemplaria, quae ob oculos habuerunt, paene tota interierunt? Tamenne illos imitatores negligendos putabimus?

Plura quae dici possent prudens, AA., omitto. Neque enim praesens opportunitas omnia ut pertractem, patitur; et dicendum restat de litterarum Latinarum studio philologis et utili et necessario. Ac non carere posse eos scientia illarum rerum, quas aliis sint traditURI vel commendaturi, quis dubitat? Sed tamen negliguntur a multis litterae Latinae, credo, quod in

Graecis maiori cum emolumento bonarum litterarum operam suam collocatum iri existiment; Graecos auctores, quo sint plures et difficiliores, eo maiorem divinandi copiam dare. Quod etsi ex parte verum est, non tamen omnes a Latinis deterrere debebat; quas constat a renatis litteris indefesso studio et labore a praestantissimis viris excultas; ea vero ratione excultas, ut largum illi campum, in quo vires exercerent suas, posteris reliquerint. Quod breviter etiam exponere mihi propositum est.

Et quoniam interpretatio an intelligentia critices fundamentum esse debet, iudicandi autem et emendandi ratio et sollertia philologi praecipuum munus est, de utroque deinceps dicendum.

Etsi ipsa veritas temporum vicissitudine et ludibrio exemta est, nemo tamen est paulo excultior, quin noverit temporum ingenium etiam in scientia excolenda aliquam vim habere et momentum, ut ne philosophia quidem, quae omnium maxime se ipsa contenta et supra vulgarem sortem erecta videatur, huius rationis sit expers. Etenim cuique aetati sua sunt studia, eruditis quoque aequalium sententiae et voluntas ex parte certe communes sunt; sponte sequuntur quae ipsorum aetas curat, negligunt quae aequales respuunt. In philologia quidem, si quid video, iudicandi libertas increvit, simul imminuta est rerum traditarum fides, in quo saeculi nostri ingenium facile agnoscitur. Antiquiores interpretes, qua erant reverentia veterum, raro, si quid minus recte dictum esset, notabant; vulgo ita versabantur in explicatione, ut, si quid difficultatis offenderent, quidvis crederent potius quam aut errasse scriptores, aut minus perspicue scripsisse, aut parum recte rationem conclusisse. Explicabant potius singula verba et constructiones, quam sententiarum nexum explorabant et argumentorum pondus et partium cohaerentiam. Nostra praecipue aetate accurata fontium indagatione historicos subinde errasse aut sublestae esse fidei et auctoritatis, aut parum ipsos in consulendis antiquioribus libris iudicio valuisse compertum est; Ciceronem in philosophia explicanda subinde titubasse creditum. Poetarum non longe diversa ratio videtur, ex quo diu multa tacito praetermissa esse, quae sanae menti aut testimoniis antiquitatis aut usui loquendi obstent, recentiores contenderunt. Hinc factum ut interpretis munus non in sententiae enarratione subsistere possit, sed in philosophis multo diligentius in totius libri ratiocinationem sit in-

quirendum, in poetis verborum vis et potestas novis sit saepe exemplis firmanda, et argumentum carminis enucleandum, ut, quid salva sententia possit abesse, quid iusta consecutio et series rerum postulet, certa trutina ponderetur. Peerlkampii dubia et ἀθετήσεις Orellius accuratiore interpretatione redarguere conatus est; Madvigius dialectica subtilitate non minus in explicando quam emendando sibi utendum putavit; et quis Niebuhrii opera neglecta nunc ad Livium interpretandum accedere audeat?

Non sane, AA., id est explicationis officium, ut criticae vicaria sit, aut eius ope sana corrupta, integra mutila interpretari nobis videamur. Quis non eorum rationem improbet, qui adeo pendent a libris MSS., ut lacunosa etiam et mendosa interpretari conentur potius quam vitia agnoscant? E contrario tamen boni est critici, antequam ad emendandum accedat, bene persuasum habere, locum non aliorum comparatione explicandum esse et errorem non scriptori sed librariis esse imputandum. Unde fit, ut interpretandi conamen et coniecturam praecedat, et in aliorum emendationibus explorandis non possit omitti. Ita interpretatio fundamentum quasi et principium est emendatricis critices. Eadem tamen aliud munus habet, in quo magis est sui iuris. Nimirum ita afficere debet lectores atque affecti fuerunt ii, quos scriptor sibi lectores auditoresve cogitabat aut desiderabat, eaque afferre quae illis nota et perspecta erant; aut, quod aiunt, ex historia poetam scriptoremve illustrare. Quae tamen opera quum non philologorum causa suscipiatur, qui satis ipsi a subsidiis aut eruditione instructi esse debent, ut hic sine cortice natent, de hoc argumento nunc dicere supersedeo, quum praesertim verear, ne vestra iam patientia abusus sim.

Sed sensim iam oratio delapsa est ad eam philologiae partem, quam, ut est, ita haberi convenit ingenii exploratricem et quasi cotem; in qua si eandem libertatem iudicandi nunc regnare dixero, quae ad interpretandos et aestimandos veteres adhiberi debeat, spero fore ut vestrum consensum, AA., obtineam. Etenim ea libertate iam dudum exsultavit Bentleius, quum alicubi[1]) „rationem sibi et res ipsas centum codicibus potiores" diceret. Nostrae vero aetatis critici hoc in genere in diversa abire possunt videri, quum partim totos versus et sententias sine auctoritate eiiciant, ut

[1]) Ad *Horat. Carm.* III. 27. 15.

bono auctore indigna, partim vero libros scriptos ita rimentur, ut vitia etiam librariorum religiose repraesentent. Ita fit ut quidam auctores recens editi minus etiam quam olim sint plani et faciles ad intelligendum. Sed res qui se habeat auditote. Quod WYTTENBACHIUS viderat iam, discernandam esse *legitimam* lectionem a *vera*, librorum auctoritatem, quae quamvis depravata tamen initium et quasi fundamentum emendationis esse deberet, a genuina lectione ab ipso auctore profecta, id recentiores nonnulli persecuti sunt, ea tamen lege, ut saepe alterutram modo critices provinciam susciperent; alii ad emendationem accederent, alii in scriptoribus edendis a MSS. toti penderent, sive quod ubique traditam lectionem revererentur, sive quod emendationis tutiorem viam munire vellent. Itaque ab altera parte maior libertas, ab altera maior religio fuit. Posteriorum opera in scriptis plane corruptis egregie consumitur, sed multum est diversa ab emendationis facultate, quam alteri sibi vindicant, et quae hoc in genere summa est, quae tamen ipsa MSS. perscrutatione velut necessario indiget instrumento. Neque tamen in planioribus certe aut minus corruptis scriptis commendandum videtur, ut contextus ille legitimus separatim edatur. Id quum alii iudicarunt, tum MADVIGIUS, quem haud scio an hodie in litteris Latinis excolendis principem dici conveniat, qui etiam in libris de Finibus satis impeditis mediam quandam et me quidem iudice meliorem rationem iniit. Nam etsi summa cura et religione adeo codices perscrutatus, ut archetypi lectionem, quam eandem legitimam licet dicere, inveniret, tamen quoties haec non satisfaciebat, et suas et aliorum emendationes complures recepit. Ad quam lectionem inveniendam dum optimos libros eligit, hos ubi necesse est emendat, rivulos ex his deductos spernit, et superstitione illa liberatur ex qua unius cuiusdam libri fides ratione potior saepe habetur, et inani syllabarum et apicum aucupio in illis MSS., quos ex melioribus descriptos esse constat [1]).

Itaque duplex quasi stadium criticae artis excercendae apertum videtis; alterum industriae, ingenii alterum. Fateor illius archetypi sive legitimae lectionis exquirendae nimiam curam esse posse aut frustra susceptam. Etenim bonas subinde lectiones in deterioribus MSS. inventas librariorum acumini

---

[1]) Praef. ad libros *de Fin.* p. XLI.

adscribere editores coguntur. Quis porro non videt, non omnium auctorum eandem esse rationem, quum alii semper multorum versati manibus ab initio per multa exemplaria sparsi fuerint, ut archetypi lectio hic quidem sit ipsa scriptoris manus, aut nobilis quaedam antiqua recensio; alii tam raro lecti sint, ut ex uno recentiore fonte omnes libros ductos esse a ratione nihil abhorreat; alii studio sint interpolati, alii negligentia in minoribus tantum corrupti. Verum si cura illa iusto maior esse possit, multo tamen magis id est cavendum, ne temere in libros involantes, undequaque lectione arrepta, contextum consarcinemus a diplomatica fide quam remotissimum. Quod fugientes critici multi severiorem nunc sibi legem scripserunt, simul vero quod et deteriores codices magis negligunt, et emendandi curam non excludunt, non censendi sunt minorem iudicandi libertatatem vel ipsi sumere vel aliis permittere. Imo licentiam potius quam libertatem impediunt.

Omnino habet hoc aetas nostra, quod in multis scriptoribus criticae factitandae certius fundamentum iactum est. Quo in genere insigniter de litteris Latinis meritus est ORELLIUS, quum et in TACITO et VELLEIO PATERCULO unica exemplaria diligentius excusserit, et aequali similique cura omnes TULLII libros ad bona subsidia exegerit, ut quasi uno obtutu optima quaeque superiorum inventa intueri liceat. PLAUTUS nunc demum adhibitis et codice palimpsesto saeculi V et aliis permullis Italis MSS. ita coeptus est edi, ut iam aliquanto opportunius sit de eius metro et depravatione iudicare. Nec minus de CATULLO et LUCRETIO meritus est LACHMANNUS. Denique quum maiori nunc diligentia in fragmentis poetarum, historicorum, oratorum perscrutandis et colligendis nostra aetas versetur, hac quoque in parte criticorum acumen et sagacitatem non minus prospero successu quam in Graecis occupatum iri spes est, unde quin historia litterarum Romanarum insigne habitura sit emolumentum, nemo in dubium vocaverit.

Sed eadem iudicandi libertas, quae ad coniecturam incitat, subinde ab emendando revocabit. Non facile quidquam, quod vitiosum esset aut minus commendabile, veteribus olim adscribebant; a nobis iam id non quaeritur, quid optimum sit, sed quid, etiamsi minus recte et eleganter, tamen a scriptore, quem tractamus, scribi potuerit. Non quaeritur quid optimum sit, sed quid verissimum. Est vero haec res omnium vel maxime lubrica, ut statuamus, quid scriptori aut poetae ipsi, non librariis, adscribere audea-

mus, ubi emendatrix critica manum operi debeat admovere, praecipue in iis, qui suo in genere paucos habent similes aut nullum, ut in HORATIO, qui suo in genere singularis est. Et plerumque de dubiis singulis in locis magno cum acumine prolatis in nullo auctore statuere licet, nisi in universum constet, quam libertatem in dictione, quam negligentiam in rebus illi adscribere audeas. Quod ut recte fiat, non in singulis haerendum, sed ex accurata lectione et commentatione imago quaedam et species nobis cuiusque auctoris et poetae conformanda est, ad quam singula, velut ad amussim, exigamus. Quae si forte non respondeat inconsideratae admirationi superiorum temporum, tamen incorruptum illud veritatis studium existimationi veterum nihil nocebit; sed velut amici amicos diligunt, quibus virtutes simul et errores et imbecillitatem natura eadem insevit, ea temperatione ut, nisi quis indolem exstirpare velit, altera ab alteris divelli nequeant, ita cum veteribus assuescemus, et cum vitiis eorum bona, quae multo maiora sunt, compensantes per animorum quandam cognationem nos in eorum usum et familiaritatem insinuabimus.

Quod si nos Philologi assequemur, veteres, etsi non antiquum dignitatis locum possint recuperare, tamen magis diversarum artium studiosis per nostram se operam commendabunt, disciplinaeque nostrae et antiquitati conciliabunt.

Eo contendere ut mihi propositum est, VV. AA., huius Academiae Curatores, ita tamen multa promittere reformidat animus. Muneris, quod mihi imposuistis, etsi ad honorem amplissimum, ad humanitatem promovendam gravissimum est, persentisco tamen ambitum et difficultatem. Illud quidem confidere audeo, Vos, qui me nulla mea petitione, parum per me Vobis cognitum, ad summum honorem evexeritis, aequos mihi futuros et benevolos iudices. Gratias ut Vobis agam quum non desideretis, VV. AA., quod unice huius Academiae commoda spectare soleatis, non tamen reticere possum, quam mihi grata sit illa statio vitae, qua totum me litteris dare possim, nec quotidiana occupatio studiorum cursum sit impeditura. Vestrae me hoc integritati debere, gratus equidem refero et agnosco. Exspectationi vestrae, si qua est, pro virili parte respondere studebo, Vobisque persuasum habete, me studio quidem et voluntate in Academiae commodis promovendis nemini cessurum.

Ad vos sese mea convertat oratio, Viri Clarissimi, omni genere doctrinae conspicui, quos iam collegas appellare mihi contingit. In Vobis quum plures conspiciam eiusdem Traiectinae scholae alumnos, sponte oculis obversatur PHIL. GUIL. HEUSDII praeclarissimi viri imago; cuius etsi praestantiam vobis diutius perspicere et experiri quam mihi datum fuit, ego tamen memoriam nunquam ex animo deponam. Quem quoties recordor, antiquae humanitatis et eruditionis speciem mihi intueri videor. Eius filio nunc iterum succedo; qui quod non simili de causa, qua ante hos octo annos, quum ad maiora vocaretur, locum mihi cessit, sed publicae litterarum professioni simul et huic Academiae valedixit, dum dolet animus, spero tamen et opto, ut privatis studiis litteras suas illustrare pergat. Aliis igitur vestrum HEUSDII memoria me fortasse conciliabit, aliis affinia aut similia studia; vestra tamen omnium quum nihil magis intersit, quam ut haec Academia floreat non minus praestantia quam numero discipulorum, studium in communi illa contentione versatum omnium artissimo nos iunget vinculo. Quod dum expeto, non tantum ut collegas Vos sed etiam amicos habeam gratissimum mihi accidet.

Vestra causa, Iuvenes Ornatissimi, suscipietur quidquid laboris et studii impendam. Vobis ut prosim, maxime mihi appetendum duco. Viget vobis aetas; animus alacer et incorruptus ad verum exquirendum libere potest in spatia doctrinae excurrere; laetissimum vobis campum apertum videtis; subsidia parata. Sed haec omnia parum iuvant, si quidquid primum se obtulerit arripientes magis praesenti studiorum voluptati serviatis quam solidae scientiae. Quocirca si meum usum in vestrum adhibeatis commodum, dux ego vobis ero. Curretis ipsi; eam ego viam commonstrabo, qua brevissime consilium attingatis. Quantum quidem eius fieri possit, ibimus una et si vos vera cupido scientiae incitat, mox vos familiares habebo et amicos; vos me magistrum non tantum sed amicum etiam existimabitis. Qui consensus ut ad studiorum fructum vobis est exoptatus, mihi ad muneris officia bene implenda efficacissimus.

Vestra, Viri Doctissimi, quotquot ad hanc solennitatem confluxistis, in quibus laetor quod antiqui muneris quosdam socios adspicere mihi licet, vestra studia communiter cum nostris sustentent et augeant huius Academiae honorem et dignitatem. — Tu vero D. O. M.! a quo sunt omnia perfecta dona virtutesque, Tu nostros conatus secunda in iuvenum commodum, patriae salutem, huius Academiae decus et ornamentum.

ORATIO

DE

VERO CODICUM LEGUM CIVILIUM PRETIO,

QUAM HABUIT

REMBT TOBIAS HUGO PETRUS LIEBRECHT ALEXANDER
VAN BONEVAL FAURE,

IUR. ROM. ET HOD. DOCTOR,

A. D. XVII M. APRILIS A. MDCCCLVI,

QUUM EXTRAORDINARIAM IURISPRUDENTIAE PROFESSIONEM IN
ACADEMIA GRONINGANA SOLLENNI RITU AUSPICARETUR.

ACADEMIAE GRONINGANAE CURATORES, VIRI AMPLISSIMI!

QUI HIS AB-ACTIS ES, VIR CONSULTISSIME!

RECTOR MAGNIFICE, CAETERIQUE ARTIUM AC DISCIPLINARUM PROFESSORES, VIRI CLARISSIMI, COLLEGAE EXOPTATISSIMI!

QUI IURI DICUNDO ET CIVITATI REGUNDAE PRAEESTIS, VIRI PRUDENTISSIMI, SPECTATISSIMI!

VERBI DIVINI INTERPRETES PLURIMUM VENERANDI!

ARTIUM AC DISCIPLINARUM DOCTORES ERUDITISSIMI, PERITISSIMI!

ACADEMIAE CIVES, IUVENES ORNATISSIMI!

CUIUSCUNQUE DENIQUE LOCI ET ORDINIS HIC ADESTIS, AUDITORES HUMANISSIMI!

Notissima ac gravissima quaestio est, quae, ineunte fere hoc saeculo, Germaniae imprimis celeberrimos agitavit Iureconsultos, quaeque, si vel unum Savinii vere classicum attendatur opusculum, novum iuris disciplinae quasi stadium aperuit, de codicum legum civilium condendorum utilitate et opportunitate.

Imo ne hodie quidem lites compositae. Unus et communis ille totius Germaniae iuris civilis codex, quem tanto ardore efflagitaverant plurimi, iterum ad pia vota videatur relatus, — at, vel proximis abhinc annis, quum in Saxonia et Hassia legum civilium codices ferrentur, novis si non argumentis, at animis lites redintegratae sunt.

Quae quum reputarem, nostramque iuris civilis considerarem conditionem legum quippe codicibus iam diu stabilitam, sponte quasi incidi in orationis, qua gravissimam mihi mandatam auspicarer provinciam, argumentum.

Vos igitur AA. HH.! benevolentia ac favore me prosequamini dicentem: *de vero Codicum legum civilium pretio.*

De codicum legum civilium *pretio* dicturus, non est profecto quod vereamini, ne rursus vobis memoratam illam exponam quaestionem, num universe expediat codices condi, nostrane haec aetas tanto labori par sit necne? Gaudemus legum codice, imo nostrum nobis proprium patriumque contigit conficere codicem, abrogato quem, tristis eheu memoriae! peregrinorum nobis imposuerat dominatio.

Itane legum codicum qualiumcunque tandem exsisto patronus? Minime vero! Sed aliud est de re constituenda, aliud quod de re constituta feratur iudicium. Quodsi, ubi de re constituenda quaeritur, nostras quisque sequimur partes, omnibus viribus eam promoventes, si profutura, oppugnantes, si contra videatur — quum semel res constituta est, hoc potius omnium sit propositum ut omni quo possimus studio eam colamus ac tueamur, vitia quidem haud occultantes, verum eo demum consilio in lucem protrahentes, quo citius melius iis afferatur remedium.

Quaerenti igitur quid verum illud codicum legum civilium pretium constituere videatur, hoc respondeo: codices civiles, nam de his tantummodo dicturus sum, commoda omnino non attulerunt, quae desideraverant et exspectaverant qui codicum condendorum auctores exstiterant atque patroni, incommoda autem ab adversariis praevisa magna ex parte pro commodis habenda inque lucro ponenda sunt.

Quod si cui vestrum inexspectatum quodammodo et mirum videatur, de priori quidem effato, vix dubito AA., quin adsentientem non habeam, si paullo accuratius mecum inquisiverit, *primum* in causas, cur codices expetiti fuerint, *deinde* in systematis auctorum vel patronorum propositum, *denique* in ipsorum codicum, quibus utimur, rationem mentemque qua conditi fuerint.

De causis inter omnes non constat. Scilicet etiam de his inter sese dissentire videntur viri docti, prouti legum codicibus ipsis magis minusve favent vel adversantur. Sunt autem qui quatuor imprimis codicum conficiendorum causas memorent, nimirum: principium ex quo summus imperans vel is penes quem legum ferendarum potestas est, unicus iuris auctor, lex unicus iuris fons existimatur; desideratam totius civitatis unitatem;

principes legum ferendarum gloriae cupidos; denique hominum ad generalia omniumque hominum communia iuris naturalis praecepta propensam voluntatem.

Haud quidem est quod negem omnes illas causas ad codices conficiendos valuisse, codicumque patronos illa principia fuisse professos, at vel sic tamen occasionem potius ipsis atque opportunitatem praebuisse, quam veras causas exstitisse contendo. Itaque, si procul dubio FREDERICO Magno vel primo NAPOLEONI placuit, imperatoris JUSTINIANI exemplo „sub felici nominis vocabulo novum codicem componere" non tamen eos latuit illum demum sapientis legislatoris laudes meriturum, qui necessarias ipsique populo exoptatas leges condidisset. Nonne etiam desiderium illud civitatis unitatis, si iuris civilis conditionem spectas, arcte cohaeret cum confusione illa et difficultatibus, quas tanta, quanta in patria quidem nostra exstitit, singularum provinciarum legum diversitas pariebat? Denique, quid dicam de studio illo generalium iuris naturalis praeceptorum, quid de altero illo principio, quod omne ius ad legislatoris expressam voluntatem refert? Nonne etiam in his certioris ac stabilioris iuris conditionis desiderium conspicuum est?

Itaque, si accuratius rei historiam inspicias, compertum habebis, maximi quidem momenti illas causas fuisse, ut codicum haud amplius vitanda persentiretur necessitas, atque ad certum denique finem duceretur codicum condendorum propositum — primariam tamen ac praecipuam causam in eo positam fuisse, quod, in nostra saltem patria, desiderata iuris securitas ius certo condendum efflagitaret.

De iuris patrii incertissima conditione iam querebatur VAN BYNKERSHOEK: „excute," inquit, „comitum et ordinum edicta, decreta, rescripta, excute „privilegia, statuta locorum, consuetudines et oberrabis saepius incertior „quam dudum." Mox „quam vagum," addit „incertum, obscurum est „quidquid est iuris patrii? quam patet prolixis disputationibus?" Quod vero vir amplissimus in tanta iuris patrii exilitate egregium laudat iuris recepti Romani auxilium ac remedium, optime sane conveniat aureae, quae in nostra etiam patria floruit, iurisprudentiae aetati — labentis iurisprudentiae tempore, qualem exeunte superiori saeculo offendimus, tamquam pestem ac perniciem Iureconsultorum principes illud reiiciebant atque exsecrabantur. Vehementissime in illud invectum novimus celeberrimum curiae Flan-

driae praesidem, ipsum Introductionis Grotianae doctum commentatorem, Gul. Schorer, qui in opusculo: *de absurda iurisprudentiae patriae conditione*, non tantum legibus patriis statutorumque locorum discolori diversitate, verum imprimis etiam recepto iure Romano omne ius civile ita confusum atque turbatum perhibet, ut fere ex mero arbitrio et secundum quinque sensus vel „cerebrinam" aequitatem lites diiudicari quam istis legibus ius contineri praeferret. Non modo ab imperitis sed ne a Iureconsultis quidem in isto iuris labyrintho, si vel maxime aditus pateret, filum inveniri posse videbatur; germana autem iuris scientia in tanta latebat commentariorum copia ut nefastum in iudiciis invaluisset principium „auctoritatibus magis quam legibus lites diiudicari."

Itaque non aliud quo tristi huic rerum conditioni mederetur efficax ipsi videbatur remedium, quam si vel unus omnibus provinciis communis conderetur codex, vel si hoc non ferret politica reipublicae constitutio, singularum saltem provinciarum leges in codicis ordinem redigerentur.

Multum quidem abfuit ut omnium sic ferret suffragia vir amplissimus, imo fuerunt qui iurisprudentiae patriae honorem acriter ab eius criminationibus quippe praeter modum saevientis, vindicare conarentur. At paucis annis post, de eodem argumento *cogitata* exposuit insigni patrii etiam iuris scientia conspicuus Laur. Petr. van de Spiegel, qui quamvis suavius in verbis, non minus fortiter in re, haud amplius ferendam tantis ac tam diversis iuris fontibus confusam turbatamque iuris conditionem ostendit, nec nisi ab uno et communi omnium provinciarum legum civilium codice salutem exspectandam esse censuit, quo simul, inextricabili statutorum collisione sublata, *ius* demum *certum* conderetur.

Quae quum vel XX annos scripserit antequam lex de imperio unum ac communem codicem, iunctis iam in unam atque indivisam rempublicam provinciis, condi iuberet, ipsum illud iuris certi desiderium quin primaria codicum civilium fuerit causa, vix dubium esse potest.

Quodsi iam statuo, codices civiles non adtulisse commoda, quae desideraverint codicum condendorum patroni, ne, quaeso, hoc meum effatum sic accipiatis, quasi ius certum codices non constituisse statuam! Verum enim vero, AA., varie illud *ius certum* intelligitur. Tota autem quaestio huc redit, quale et quo modo illud codicibus condi censeatur.

Mitto consilia eorum qui totum ius civile ex aliquot iuris nescio cuius naturalis regulis concinnandum esse opinati sunt. His quidem Ampl. SCHORER accedere videtur; moderatius vero hac quoque in re VAN DE SPIEGEL simul et accuratius propositum exposuit. Itaque a novis legibus quae immineant pericula agnoscens non tam *novis* legibus quam *reformandis* antiquis praesentem statum emendandum censuit; leges vigentes in meliorem ordinem digerendas, lucide exponendas, consuetudines autem et statuta locorum ipsi codici, quantum fieri posset suo quidque loco inserenda, caetera omnia abroganda.

Pauca sunt profecto quae in hoc ipso codicis condendi proposito in universum ac per se spectato reprehendenda videantur; multis quippe nominibus cum eo convenit quod in codicibus quibus utimur conficiendis postea ante oculos habuerunt legislatores. Laudandum sane illud *reformandi* haud vero *innovandi* consilium. At parum sibi constitit auctor, ubi pergit exponendo, quale et quo modo ex novo illo legum civilium codice ius certum oriturum sit. Etenim novus ille codex, utpote lingua patria conscriptus, illius futurus erat simplicitatis ac perspicuitatis ut non tantum Iureconsulti sed omnes etiam cives ius noscerent, ideoque non solum promulgatione ad omnium ferendus esset notitiam verum optime etiam Kalendario, appendicis loco adiici posset. Denique Imperatoris IUSTINIANI exemplo omnes iuris periti novo codici commentarios adnectere vetandi essent „ne verbositas eorum „aliquod codici afferret ex confusione dedecus.”

Neque tamen soli SPIEGELIO solisve nostratibus illa placuisse, imo vel communem illam fuisse codicum eo tempore patronorum opinionem negligendum non est. Memorasse sufficiat quae in praefatione proposita specimini prioris corporis iuris FREDERICI leguntur, unde egregie apparet hoc imprimis regis fuisse consilium ut omnes quibus in iudiciis ius esset petendum, ipsi leges consulere et se ipsi de sua causa, iustane esset an iniusta, certiores reddere possent. Quapropter poenas severas Rex in eos statuendas censuit qui quocunque tandem praetextu commentarios scribere ausuri essent neque aliud auditoribus ius tradere professoribus licitum fore, quam quod simplici nescio quo codicis systemate ac generalioribus cuiusque argumenti principiis contineretur; denique doctorum in iudiciis allegare sententias in posterum expresse vetitum.

Sane sic parum aberat quin *reformandi* proposito relicto, opus sibi perfectum atque absolutum condituri viderentur codicum illi patroni, quippe quod omni destitutum doctrinae auxilio sibi ipsum sufficeret. Quod quomodo ex tam imperfecta de qua querebantur iuris conditione sibi datum iri confisi sint, non est quod magnopere miremur. Ita enim saepius comparatum esse videmus hominum ingenium ut acriores atque sagaciores sint in exquirendis et detegendis vitiis eorum quae sunt, quam in praevidendis vel agnoscendis quae ex ipsorum innovationibus oriri possint vel debeant incommoda.

Verum enimvero, quod maioris momenti et hic imprimis in censum venit — proposito illo ipsius iuris negligebatur penitus natura illudque adeo suberat vitium ut ipsa prudentia iuris sponte sua corrueret.

Uti in nullo vitae hominum socialis elemento, ita neque in iure deprehenditur stabilitas; ubivis progressio conspicua continuis patefacta mutatationibus. Quae quamvis non semper progressus ipsos quovis ante oculos ponant momento, imo vero saepius quasi aestuum videantur decessus ac recessus, continua tamen progressio haud facile negabitur. At — negetur et ipsa, frustra tamen, nisi ius potius opinione quam natura constitutum credas, intimam negabis quae inter praeterita ac praesentia, inter haec et futura intercedit necessitas. Iam vero quid, quaeso, dicendum de isto proposito quod vel maxime eo tendat ut praesentia et futura a praeteritis divellantur? quid de proposito unde hoc necessario consecuturum esset, ut non tantum omnes qui eo usque viguissent iuris fontes, novis legibus abrogarentur, verum etiam vinculum ipsum quo solo nova cum antiquis coniungi possent, deleretur, omni potissimum praeteritorum exstincta memoria omnique in applicandis et explicandis novis legibus prohibito doctrinae auxilio? Quid denique dicendum de legum codice, quo non tantum *certa* verum adeo *immutabilis* iuris conditio reddatur, ut omni reiecta doctrinae vi atque auctoritate, neque ulterioribus iurisprudentiae locus esse possit progressibus? Sic profecto vis ipsa, quae quaerebatur vitalis, ex letali oriri deberet principio!

Accedit quod alio etiam nomine codicis civilis condendi illud propositum iuris naturam offenderet, neglecta scilicet ratione, qua ius sese explicuit. Etenim vel maxime doctrinae lenta ac continua debetur iuris explicatio unde

haec ipsa nostra exstitit disciplina. Quodsi a iure doctrinam exsulare velis, nonne ipsum fere ius e iurisprudentia tollitur?

Sane haud immerito auctores illi sibi non constitisse dicuntur qui, quum non nova instituta sese condere, verum vigentia tantum refingere prae se tulerint, ipsam tamen lucem exstinxerint unde haec lumen necessarium haurire vel fundamentum destruxerint quibus inniti deberent. Hoc quidem satis clare apparet, ubi semel iuris disciplina sit nata, hanc tollere codicem legum non posse, quippe qui sua natura non nisi nova possit esse forma, qua ius in vitam prodeat.

At, nonne saltem lingua patria, qua novus codex conscribendus erat, hoc efficeret ut doctrina tuto posset exsulare? Vidimus hanc fuisse codicum patronorum opinionem statuentium quippe legum lingua patria conscriptarum cuique patere scientiam omnesque cives de suis ipsos litibus optimos iudices constitui. Non equidem is sum qui in illa opinione nil quod laudatu dignum sit, vel quod excusationem saltem habeat, reperiam. At vel sic tamen in gravissimo versabantur errore codicum patroni, quasi sola verborum intelligentia notionum etiam et regularum pareret. Luculenter sic denuo probatur neglectam doctrinae auctoritatem causam fuisse cur iuris quoque *disciplinam* esse obliviscerentur, cuius tamen, uti omnium caeterarum disciplinarum nonnisi studio ac labore comparatur scientia! Quapropter, si vel simplicissima et, qua fieri possit, lucidissima ratione codices legum confecti sint, nemo tamen erit qui eorum placita probe intelligat, nisi *iuris* etiam sit peritus. Itaque vel hodie praeclarum illud CICERONIS valeat effatum: „Qui peritis non putat esse obtemperandum is homines non laedit, sed leges ac iura labefactat."

De miserrima quae ex isto codicum condendorum proposito orta fuisset iurisprudentiae conditione non est quod pluribus agam. Unum hoc animadvertendum superest. Neque iudicis neque Iureconsultorum aliud exstitisset officium nisi legis verborum operaria et quasi mechanica applicatio omni scilicet fere interpretatione soli legislatori delata. Nam quod suo de commentariis a novo codice arcendis praecepto addit IUSTINIANUS: „si quid vero „ambiguum fuerit visum, hoc ad imperiale culmen referatur et auctoritate „Augusti manifestetur, cui soli concessum leges et condere et interpre„tari" — hoc quidem a FREDERICO Magno solo diserte praescriptum, SPIEGELJI tamen etiam proposito non poterat non esse consequens.

Neque tamen in patria nostra, neque etiam in Borussia ista principia expressis legis placitis sancita sunt. In Gallia vero magnae rerum conversionis tempore ex illis etiam principiis quae ad postremum consequerentur tristissimo experimento edocti sunt cives: clausis iuris scholis, sublato ordine iudiciario, omnibus civibus, iuris scilicet etiam peritia aequalibus, iudicis munere fungentibus.

At alia prorsus mente codices in Gallia conditi sunt, quum veri nominis Iureconsultis, auspice NAPOLEONE iuris etiam civilis turbati instauratore, difficillimum hoc opus serio demum aggredi ac perficere licuit. Egregie hoc patet ex oratione qua primum codicis Napoleontici specimen corpori legifero commendarunt PORTALIS quique amplissimi viri in illo opere elaborando socii fuerunt.

Itaque non tantum professi sunt *novas* leges codice constitui non posse neque oportere, verum totidem verbis etiam de industria probarunt, opus absolutum ac perfectum condere, quod sibi ipsum sufficiat, penes legislatorem non esse. Memorant ac simul refutant quem opus aggredientes offenderant late patentem errorem, optimo cuique legum codici condendo sufficere nonnulla simplicissima placita quae tamen simul omnibus causis vel casibus satisfacerent. Ipsi vero potius codicis finem hunc esse statuunt, ut generalia eiusmodi sanciantur principia ad quae exigi possint quaestiones, quae aliquando se offerant, singulae; hac tamen ratione plurima sponte consuetudini, rebus iudicatis vel doctrinae relinqui quibus verum ac necessarium contineatur codicis supplementum. Magistratus autem et Ictos germana iuris scientia praeditos legis applicationem regere oportet. Multum etiam abest ut commentarios legibus nocituros existimaverint. E contrario horum necessitatem alta voce proclamant, imo vero commentandi, disserendi copiam et ambages prae ceteris disciplinis iurisprudentiam optime pati. Quodsi non omnibus civibus scientia legum pateat, hoc ne simplicissimum quidem codicem efficere ipsamque felicem adeo praedicant civitatium praesentem conditionem amplissimi illi viri, propter ea quod iurisprudentia in disciplinarum numerum relata suos sibi postulet sacerdotes, ideoque ne iudicem quidem oblivisci sinat, multa quidem ab eius iudicio pendere, nihil tamen mero eius arbitrio vel liberae voluntati esse relictum. Denique ne hoc quidem fugit amplissimos viros quantum necessario inter legislatoris

ac iudicis munus intersit, ne legislatori delatis quae iudicis sint partes maximum capiant ius et iurisprudentia detrimentum.

Eandem autem viam secutos esse viros consultissimos quibus patrii, quo utimur, codicis condendi provincia mandata fuerit fusius hic probare necesse quidem non erit. Ipsi non tantum pluribus locis easdem professi sunt sententias verum ipse etiam codex illud satis superque ostendit, modo vel levem eius cum codice Francico instituas comparationem.

Sic profecto de operaria ac quasi mechanica iudici imponenda legum applicatione quaestio amplius esse nequit neque doctrinae auxilium parvi aestimatur. Agnoscitur imo requiritur, tam in applicando et explicando quam in supplendo codice, doctrinae auctoritas, quum contra codicum condendorum patroni hoc ipsum illorum commodum fore ducerent, ut doctrina ius civile haud indigeret.

Quodsi vera sunt quae de hoc gravissimo observavi errore, est sane quod magnopere gaudeamus, non illud saltem legum codices nobis attulisse commodum, quod codicum patronis summum ac primarium est visum.

Videamus iam quo sensu incommoda ab adversariis codicum praevisa magnam partem revera pro commodis habenda vel in lucro ponenda sint. Si autem in hac sententia exponenda Germanorum inprimis lites respexero, non est quod miremini, quandoquidem ab his demum gravissima incommoda in lucem prodita sunt, nec tamen ipsius codicis Napoleontici rationem habere neglexerunt.

Primo autem loco maximum legum codices commodum attulisse censeo propter ipsum illud principium quod, quum codicum condendorum propositum quam maxime illo inniti videretur, fautoribus prae caeteris vitio verterunt adversarii: principium puto, secundum quod omne ius manat ex libero legislatoris arbitrio ideoque omnis doctrina ad solas leges est referenda. Memineritis enim, A. A., hunc errorem ad maturitatem perduxisse sublimem illam a celeberrimo Savinio expositam et explicatam imo denuo quasi revelatam veritatem, quae ius non hominum esse inventum sed temporis opus esse docet, et cum ipso populo natum sese uti populum explicuisse.

At forte quis obiiciat: nonne ipsius illius veritatis necessariam Savinius probare studuit esse consequentiam nostram hanc aetatem legum codicibus

condendis plane esse imparem? Quo modo igitur tu illam cum ipsis codibus conditis ita concordare contendis, ut simul codicum commoda laudes ac SAVINII doctrinae veritatem agnoscas?

Scilicet est quidem verissima illa SAVINII de iuris natura doctrina sed eius ulterius quam par est extendit consequentiam. Etenim non huiusmodi sibi proposuit codicem conditum iri qui, quae esset miserrima iuris civilis conditioni, quantum fieri posset, mederetur, verum ad praestantissimi omnibusque numeris absoluti codicis requisita quaestionem illam de eius opportunitate vel utilitate exegit. Itaque non tantum hanc nostram aetatem operi imparem esse censuit, sed vel nullum unquam venturum esse tempus quo illud opus rite perfici posset, siquidem illa aetas, qua perfectus demum codex conderetur, illo non indigeret. Verum enimvero, nonne sic tamen agnoscere videtur vir clarissimus codicis *necessitatem* exsistere posse quamvis perfecto codici condendo aetas sit impar? Quidni igitur, licet perfectum non condat, ipsi tamen illi necessitati pro viribus satisfaciat, ne, perfecta solummodo quaerens, bona non tantum amittere verum ad peiorem etiam conditionem delabi periclitetur?

Iam vero hanc nostram aetatem iuris civilis codicibus carere vix posse negari haud potest. Quicquid de variis causis disputatur et opportunitatibus, quibus iam inde a medio saeculo superiori codices expetitos et commendatos esse novimus, nemo saltem infitias ibit, perpetuo non tantum apud singulos populos auctum esse verum omnium adeo in Europae continente excultorum populorum commune exstitisse codicum desiderium, unumque post alterum codices sibi civiles condidisse; numquam vero de abrogandis iis, quos ipsi condidissent codices, deque priori statu in integrum restituendo quaestionem fuissse.

Quodsi nihilominus ipsa illa SAVINII doctrina de iuris natura, quamvis ad contrariam de codicibus condendis sententiam ipsum duxerit, maximam tamen in nostra disciplina habuerit vim innumerosque nacta sit sectatores inter eos etiam Ictos, qui codicibus condendis non adversarentur, denuo constare videtur non necessario hinc sequi, certe nimia cum fiducia asseverari nostram hanc aetatem codicibus condendis ita esse imparem, ut ab hoc opere abstinere debuerit. Accedit, quod neque SAVINIUS ipse semel conditos codices abrogandos esse censuerit.

Itaque praecipuum hoc esse videtur, ne codicibus conditis veram *iuris* naturam obliviscamur, neque propterea sequamur plurimorum codicum patronorum errorem quasi iam uno codice omne ius contineatur. Quo autem tutius hoc observemus egregie facit ipsa, quam de codice Napoleontico sententiam pronuntiaverunt illius auctores; qui, quamvis Savinianae eos latuerit doctrinae praestantia, graviter non tantum reprehendunt errorem eorum qui in condendo codice populi historiam impune negligi posse credant, verum etiam de opere suo temporis tractu perficiendo disserentes egregie profitentur codices proprie ab hominibus non confici sed temporis potius esse opus.

Si autem hac ratione codices considerantur neque prae illorum amore iuris genuina negligitur natura, haud vereor ne doctrinae detrimentum afferant quod vel maxime metuebant adversarii. Nonne imprimis inde oriebatur ille metus, quod codicum patroni omne uno codice ius contineri putarent, ideoque ad unum codicem omnem doctrinam esse referendam? Iam vero si hoc codicibus necessario non efficitur, modo ne de codicum et iuris vera necessitudine in errore versentur Icti, nonnisi commoda doctrinae per hos afferri posse facile est ad perspiciendum. Quum enim cuiusvis disciplinae plurimum intersit ut certis quibusdam temporis momentis exploretur atque exponatur quatenus interior eius cognitio profecerit, quid constare videatur, quid dubii, obscuri, confusi remaneat, quave parte a recta via decedatur, optima sane ratione codices eo inserviunt ut ipsius iuris conditionis quasi ratio reddatur et conspectus detur. Sic, ubi attendimus miserrima quae fuit doctrinae conditio ante codices conditos ita quidem ut revera ipsam materiem non amplius regerent Icti, novi illi codices egregium doctrinae praestiterunt auxilium quo amissam recuperaret auctoritatem, cum quasi novum vel renovatum continerent fundamentum cui iuris aedificium superstruere pergerent Icti.

Inter paucos qui in Gallia codici civili conficiendo adversabantur, fuerunt quibus potius sensim ius civile refingendum videretur, ita ut de singulis argumentis, prouti aetatis ratio ferret atque opportunitas, leges conderentur. At nisi absolutos ac perfectos codices conditos credas, ipsi huiusmodi reformationi impedimento haud sunt; imo vero efficacius illam in usum

adhiberi sinunt. Quum semel ius civile, quantum fieri potuerit, in codicem fuerit redactum, omnium iuris capitum facilior erit conspectus adeoque cavere potest legislator ne inter ea quae mutentur, addentur vel inserantur cum caeteris pugna oriatur. Quod quomodo vitari potuerit, codicibus non conditis, equidem non intelligo.

Aliud incommodum superest ex ipso codice Francico petitum quo mihi etiam prodesse magis quam nocere codices videntur. Querelas dico motas de iure subsidiario plane neglecto, uti in codice Napoleontico, et ab eiusdem auctoribus male intellecto.

Mitto quod non satis aeque sic de codice Napoleontico iudicaverit Savinius quippe ad perfecti atque omnibus numeris absoluti codicis requisita illum exigens; mitto quod codicis Napoleontici auctorum opinionem ne recte quidem intellexerit: incommodum vero quod inde oriturum praedicavit, quasi prae codicum novorum studio futurum esset ut ius illud subsidiarium negligeretur, quod tamen ipsum praecipuus iuris fons haberi deberet, eventus certe non probavit. Mihi autem in eo ipso codicis praestantiam animadvertere videor quod nullam habet disertam iuris subsidiarii mentionem nisi ut illius necessitas ostendatur. Praeceptum volo quo iudicem, sub praetextu legis tacentis vel obscurae ius dicere recusantem litem suam facere statutum est. Sic omnia quae codici desunt invenire et supplere debebit doctrina, cuius imprimis auxilium ante oculos etiam habuisse videntur codicis Francici auctores. Nonne igitur hac ratione ipsa lex necessariam doctrinae indicat auctoritatem eamque libere in hoc legislatori ignoto campo versari sinit? Sane res maximi momenti est et luculenter refutat opinionem eorum qui hodieque omne ius codice contineri statuant, nullumve ius agnoscant, nisi codice sancitum sit.

Imo vero laudandus videtur legislator patrius, quod codicis Francici hac in re secutus sit exemplum, neque aliarum legum civilium praecepta recepit, qualia v. c. in specimine codicis patrii anni 1804 et 1820, vel etiam in codice Regis Ludovici Napoleonis inveniuntur, quibus speciatim de iuris fontibus cavetur ex quibus iudex codicem suppleat. Expressa illa praecepta quibus vel totum aliquod legum interpretationis systema addi solebat, quamvis a doctissimis Iurisconsultis proposita atque defensa, redo-

lere tamen videntur illam de qua vidimus codicum patronorum sollicitudinem, ne doctrinae libertas leges turbaret. Et porro, quid iuvat expressa de hoc iure subsidiario placita lege esse sancita? Ubi certi quidam tantummodo fontes indicantur vix erit quin caeteros prorsus exclusisse legislator sit existimandus; sin vero generaliori aliquo nomine eos indicaverit, non multum aberit quin mero iudicis arbitrio res relicta videatur. Quum autem huiusmodi de iure subsidiario placita sua natura nonnisi nuda quaedam praecepta vel legislatoris monita continere possint, opportune admodum in hoc legislator obtemperavit notissimo Napoleontis effato: „iuris compendium non esse codicem, neque codicem doctrinae compendium esse oportere."

Quodsi quis obiiciat legislatorem tamen patrium illam iuris subsidiarii inveniendi libertatem aliquatenus restrinxisse statuendo, consuetudinem ius non facere nisi lex diserte eam invocet, huic equidem respondeo, illius placiti non hunc esse sensum, ut deficiente lege ad consuetudinem provocare haud liceat, sed potius consuetudinem legi abrogandae non sufficere eamque tum demum ius constituere iudici pro lege observandum, quum legislator illam agnoverit.

Quamvis necessarium exoptatumque codicis Napoleontici auctoribus germanae doctrinae auxilium fuerit visum, quamvis magnifice de illius vi atque auctoritate expositum fuerit, multum tamen abfuit ut statim doctrinae ille adsignaretur locus, quem cum iuris tum codicum ratio postularet.

Quandoquidem novus ille codex praecipuus iuris civilis fuit fons, mirum sane haud est Iureconsultos, vel propter solam novam iuris formam, initio saltem ad exegeticum imprimis studium animos adpulisse, quo citius melius singula codicis placita ad necessitates vitae civilis accommodarent.

At vero codice introducto communis in Gallia obtinuit error a falsa quam memoravi codicum patronorum opinione haud alienus, unicum codicem iuris esse fontem omnemque uno codice contineri rectam iuris civilis scientiam. Hinc codicis placita tenere vera demum videbatur iuris esse doctrina et *sola* exegesi totius iuris civilis studium absolvi. Interpretandi facilitas huic viae ac rationi multorum favorem concilians errorem propagavisse ac quasi consolidavisse videtur, quippe quae ingenii acumen ac sollertiam pro doc-

trinae subtilitate ac diligenti principiorum indagatione requireret. Denique nec parvi faciendum quod a BACONE Iureconsultorum proprium dicitur, „tamquam e vinculis sermocinandi" studium. Hoc autem codices saltem non minuisse equidem negare non ausim. Hinc verba legis tenere plurimis summa visa prudentia est et leguleii facile pro Iureconsultis habiti.

Nec mirum in nostra etiam patria exegeticum illud studium diutius quam par esset Iureconsultos tenuisse. Dominatio legum Francicarum iurisprudentiae etiam Francicae sponte stravit viam. Codices peregrini, quos rerum politicarum conditionis causa nimis diu viguisse novimus, impedimento erant quominus ius civile eo coleretur amore ac studio quibus patrius codex dignus videri deberet ut iurisprudentia vere patria foveretur ac promoveretur. Ipso autem novo codice promulgato, ab illa, quae in Gallia iam paullatim obsoleverat methodus non satis alieni fuisse videntur patrii Iureconsulti. Exegetico iterum studio nimis plena auctoritas tributa. Favebat lingua patria verborum legis dominationi; nec nobis desunt exempla, quibus verborum iste cultus speciem religiosae cuiusdam legislatoris reverentiae prae se ferens revera leges eo magis violaret quo magis illis servire videretur.

Quae quum dico, ne ita velim intelligatis, AA.! quasi parvi faciam quae hac etiam via ad iuris quo utimur augendam ac promovendam cognitionem doctissimi viri praestiterint; hoc volo, ne in illa quamvis necessaria exegetica codicis tractandi methodo subsistamus, sed persuasum nobis habeamus aliam insuper atque regiam magis viam ipsam requirere et iuris et codicum naturam.

Itaque quum exegetico codicum studio iam accesserit quae in componendis atque ordinandis eius placitis versari solet methodus dogmatica, eo pervenimus ut magis magisque sentiatur atque intelligatur historici studii necessitas ad rectam *iuris*, quod codices sanciverint, intelligentiam.

Historicum autem studium quum dico, necesse quidem non erit animadvertere me illud intelligere cuius veram ac genuinam indolem egregie hanc esse explicuit celeberrimus Germanorum Iureconsultorum historicae scholae merito princeps, ut perscrutetur atque eruat quid ex iis quibus utimur iuribus huic illive aetati vel populo tribuendum sit, cuique autem suum

tribuat, dein vero ostendat qualis, quam arcta inter haec intercedat necessitudo; quibus neglectis praesentia videmus tantum, non intelligimus.

Historica illa iuris tractandi methodus ad codices applicata fontes aperiens unde legislator placita depromserit, tum ex mutua eorum comparatione germanum placitorum sensum patefacit, tum, quod vel maximi est momenti, rationes ac principia quibus ius nostrum nitatur detegit. Neque tantum in explicandis atque usurpandis legis placitis historicum studium gratum praestat auxilium, errores etiam quos legislator in codicibus conficiendis commiserit in lucem proferens, cur placita principiave discordent indicans, ad emendandos codices optimus erit dux, ipsiusque emendationis necessitatem haud oblivisci nos sinit, quippe cum continuam iuris explicationem ac progressionem ante oculos ponat.

Si autem vera philosopha quam indicavi ratione historicum studium colitur, fieri non potest quin, ubi iuris explicationem et progressionem per temporum lapsum exposuerit, certam viam aperiat qua, novis etiam conditis legibus, prospiciatur necessitatibus quae in vita civili novae oriuntur.

Accedit quod non tantum ad ipsos iuris patrii fontes historia nos ducit, verum etiam, quo arctius exstitit iuris civilis inter plurimos Europae populos vinculum ex communibus quippe fontibus singulos sua mutuantes, eo magis ad ea etiam quae apud exteros iuris civilis instituta vigent animadvertere nos iubet.

Sed, quid iuris patrii civilis limites transgredior periculum incurrens ne eius omnium uberrimum fontem negligam, cuius ad vere patriam fovendam et excolendam iurisprudentiam unius prae caeteris summa est praestantia. Etenim, quamvis exoptata sit accuratior iuris antiqui etiam patrii scientia quamtumvis iurisprudentia ex neglecto illius studio acceperit detrimenti — tamen, praeter illam quae omnibus nostri iuris fontibus tribuenda est auctoritas, alias plures dotes quibus sese commendet atque semper commendaturum sit iuris Romani habet studium.

Itaque, quidquid gloriamur de patrio codice linguaque patria conscriptis legibus, Iureconsultorum Romanorum neutiquam carere nos posse confidamus auxilio, ut accuratas nobis effingamus ac perspiciamus iuris notiones ac regulas. Illi etiam nos doceant quanta sit quo modo confirmanda numquam impune neglecta doctrinam inter et vitam necessitudo! Numquam supe-

ratam vix unquam superandam illam methodum, qua Romani Iureconsulti versantur in iure explicando et ad vitae civilis negotia adhibendo, summa ope, ut, quantum fieri possit, nostram nobis faciamus enitendum est. Sic nostrum nobis ius ita colemus ut uberrimi inde fructus in vitae usum redundent, quem imprimis respiciat necesse est vere practica nostra disciplina.

Historica igitur methodo ad iuris civilis codices adhibita, iusto demum pretio codices aestimantibus eorum commodis frui incommoda nobis vitare licebit. Latissime autem pateat iuris civilis studii ambitus, indefessumque ac continuum requirat laborem: de eventu tamen non est quod desperemus, modo perseveremus in agendo, intimeque nobis persuasum habeamus regiam nos sequi viam, qua ad meliora progrediamur; neminem vero propius a meta abesse quam qui eam adtigisse sibi videatur.

At vero quum mecum reputo, quo latior sese extendat iuris doctrinae campus eo maiorem esse Academicae institutionis vim ad germanae iurisprudentiae cultum, denuo me commovet eximia muneris quod suscepi gravitas. Et profecto, temeritate haud facile me vacare putem, nisi vestro suffragio, Viri Amplissimi, vestraque auctoritate illud munus mihi esset delatum. Gratias accipitote de egregio hoc fidei, quam in me ponitis, testimonio. Quo insigniori me afficiat honore eo maiora illud mihi imponere officia, penitus persentio. Persuasum vobis habeatis, me omni ope enisurum, ne umquam vos vestrae erga me benevolentiae poeniteat, omnemque quae in me est industria ad huius Academiae commoda promovenda me esse adlaturum! Utinam sollenni huic voto benigne annuat Deus Optimus Maximus, vos autem, Viri Amplissimi, per longam annorum seriem incolumes servet in Academiae emolumentum!

Ad vos me converto, Viri Clarissimi, quos iam, quod vix unquam credideram, collegas salutare mihi contingit. Benevolis animis novitium in vestrum ordinem me excipiatis, peto. Peto autem eo liberius quo magis confido

vestrum mihi defuturum non esse consensum. Scilicet neque huius Academiae alumnum me latuit neque postea oblitus sum hac semper vos mente fuisse ut agnosceretis non tantum ac profiteremini omnium artium ac disciplinarum commune vinculum, verum etiam illud ita coleretis ut mutua disciplinarum antistitum benevolentia commune earum vinculum quasi repraesentaret. Imo vel plura sunt, quae de vestro consensu me dubitare vetent, sive grata mente recorder quis multorum vestrum in me fuerit animus, quorum egregia mihi frui licuerit institutione, sive cogitem quae et postea ad hunc usque diem vestra erga me fuerit humanitas imo vero amicitia.

Equidem vestrum ordinem intuens multos, eheu, desidero quos gratus diligebam discipulus aestimatissimos praeceptores, plures tamen superesse ex animi sententia gaudeo, vos imprimis, qui in ipsa hac disciplina, cuius iam et ego tradendae partes suscipiam, studiorum meorum duces exstitistis atque auctores! Quodsi iam socius futurus sum vestri laboris vos tamen duces esse haud desinatis! Quae fuit vestra in discipulum benevolentia eam in collega iam collocetis! Mihi autem datum sit, ut, quantum vobis debeam, iam rebus ipsis ac factis referam vestraque vestigia premens, ad idem vobiscum tendam propositum!

Te vero quam maxime laetor collegae etiam nomine salutare, quem alterum patrem mihi adfinitas dedit, Vir Cl. VAN HALL! Laetor tibique gratulor de munere hisce ipsis diebus per XXX iam annos feliciter gesto! Utinam et mihi tanta tua tot annorum experientia succurras! Illud precor addas iis quae mihi dare haud desinis vere paterni amoris indubitata testimonia! Equidem te cum patre quem natura mihi dedit ad rogum usque colam.

Vos denique compello, Iuvenes Ornatissimi, vos maxime, qui iuris disciplinae operam navatis! Si autem, quum Academiae commoda me promoturum pollicerer, vestra inprimis commoda vestramque utilitatem me cogitasse sponte senseritis, vestra tamen etiam diligentia me confidere probe intellexeritis. Persuasum vobis sit, ut mihi persuasum est, nullum felicem Academicae institutionis effectum esse posse sine mutua docentium et discentium benevolentia atque amicitia. Sic praeceptorem non tantum verum studio

rum me etiam commilitonem accipiatis, communium autem nostrorum conatuum hic sit finis, ut vere practicam nostram colentes disciplinam vitae quidem discamus, semper vero regiam sequamur viam quam germanae doctrinae nobis indicat amor!

Haec vero omnia ut ex voto cedant, Tu me adiuva Deus Optime Maxime, cui laus sit et honos in sempiternum!

DIXI.

ORDO LECTIONUM,

IN ACADEMIA GRONINGANA

HABENDARUM

INDE A MENSE SEPT. ANNI CIↃIↃCCCLV AD FERIAS AESTIVAS ANNI CIↃIↃCCCLVI.

IN FACULTATE IURIDICA.

HENRICUS NIENHUIS diebus Mercurii, Iovis, Veneris et Saturni, hora XI, *Ius Civile* interpretabitur, iisdemque diebus, excepto die Saturni, hora XII, selecta *Iuris Mercatorii* capita tractabit; diebus Lunae, Martis et Saturni, hora XII, maxime secundum ius patrium hodiernum, locum *de foro competente in causis civilibus*, ipsiusque *Processus Civilis* cum principia tum praecepta exponet; quibus, post ferias hyemales, adiunget *Exercitationes forenses.*

IACOBUS HERMANNUS PHILIPSE diebus Martis, Mercurii, Iovis et Veneris, hora IX, *Institutiones* IUSTINIANI explicabit; die Lunae, hora XI, diebus Martis, Iovis et Veneris, hora X, mense vero Aprili, Maio, Iunio et Septembri, iisdem diebus, hora matutina VII, selectos *Pandectarum* locos tractabit; die Lunae, hora VIII et IX, die Martis, hora VIII, *Historiam Iuris Romani* enarrabit; die Mercurii, Iovis et Veneris, hora VIII, *Encyclopaediam et Methodologiam Iuris* tradet.

CORNELIUS STAR NUMAN diebus Lunae, Martis, Mercurii, hora VIII, *Ius poenale*, quo adhuc utimur, interpretabitur; hora IX, principia iuris publici, diebus Lunae, hora X, Iovis et Veneris, hora VIII, *Oeconomiae politicae* initia tradet, die Martis, hora XI; diebus Iovis et Veneris, hora IX, *de Iure belli et pacis*, diebus Mercurii, Iovis et Veneris, hora XI, *de Natura Iuris* aget.

Disputationibus publicis et privatis lubenter praeerunt iuris Professores.

IN FACULTATE MEDICA.

Iacobus Baart de la Faille diebus Mercurii et Iovis, hora VIII, et Saturni, hora IX, sed post ferias Paschales, diebus Mercurii et Iovis, hora VIII, Veneris et Saturni, hora VII, *Artem Obstetriciam Theoreticam et Practicam* exponet et in Nosocomio ad parturientium lectos, practice instituet; diebus Lunae et Martis, hora VIII, *Artis obstetriciae partem technicam* docebit; *Therapiam Specialem* morborum tradet diebus Lunae, Martis et Mercurii, hora IX, et post ferias Paschales diebus Lunae, Martis, Mercurii et Iovis, hora VII et Lunae et Mercurii hora IX; diebus Mercurii, hora X, et Saturni, hora VIII, *Medicinam Forensem* docebit; diebus Lunae, Iovis et Saturni, hora X ad XII, ceteris diebus, hora XI ad XII, in Nosocomio Academico *Clinicis exercitationibus* vacabit.

Franciscus Zacharias Ermerins *Pathologiam generalem* docebit diebus Lunae, Martis, Mercurii, Iovis et Saturni hora IX; *Histologiam*, diebus Lunae, Mercurii et Iovis, hora XI; *Anatomiam pathologicam*, die Martis, hora XI, die Veneris hora VIII et X. *Exercitationibus clinicis* in Nosocomio quotidie vacabit hora I.

Ianus Hissink Iansen *Chirurgiam* docebit die Martis, hora X, diebus Iovis et Veneris, hora IX, et post ferias Paschales etiam die Saturni, hora IX; *Doctrinam de morbis oculorum* tradet diebus Mercurii et Saturni, hora XII; *Clinicis exercitationibus* in Nosocomio Academico vacabit diebus Lunae, Martis, Iovis et Veneris, hora XII; *Anatomen corporis humani* exponet diebus Mercurii, Iovis, Veneris et Saturni, hora IV; *Dissectionibus cadaverum anatomicis* tempore opportuno instituendis quotidie praeerit.

Isaacus van Deen *Physiologiam generalem* docebit diebus Lunae, Martis et Mercurii, hora VIII; *Physiologiam specialem et experimentalem* diebus Iovis, Veneris et Saturni, hora VIII et die Martis, hora XI; *Remediorum effectum et therapeuticum usum*, diebus Lunae, Martis et Mercurii hora X; *Pharmacognosin et Pharmacologiam experimentalem*, die Iovis et Saturni, hora X, die Veneris, hora IX, et Mercurii, hora XII; *Morbos systematis nervosi* die Lunae et Martis, hora IV; *Diaeteticam et Politiam medicam* die Mercurii et Iovis, hora IV; *Indagationibus physiologicis* in Laboratorio Physiologico quotidie praeerit.

IN FACULTATE DISCIPLINARUM MATHEMATICARUM ET PHYSICARUM.

HERMANNUS CHRISTIANUS VAN HALL die Veneris, hora VIII et IX, autumnali et aestivo tempore etiam die Martis, Iovis et Saturni, hora VIII, *elementa Botanices* illustrabit. *Botanices sublimioris* selecta quaedam capita tradet die Veneris, hora XI; die Mercurii hora IX et X aget de plantis *medicinalibus* aliisque vario respectu *utilibus*, sive de *Botanica applicata*, ordine Familiarum naturalium; die Saturni autem, hora X et XI, *Oeconomiam ruralem* docebit. Post ferias Paschales et mense Septembri, alternis dierum hebdomadibus, die *Mercurii* hora matutina VII *excursionibus botanicis* praeerit.

IANUS GUILIELMUS ERMERINS diebus Iovis, Veneris et Saturni, hora XI, *Arithmetices*, *Algebrae*, *Geometriae* et *Trigonometriae planae* elementa explicabit; *Physicam experimentalem* docebit die Mercurii, hora I, diebus Iovis, Veneris et Saturni, hora XII. *Physicam theoreticam* universe, aut selecta eius capita, provectioribus discipulis exponet. *De Matheseos elementis disquisitio* habebitur diebus Iovis, Veneris et Saturni, hora pomeridiana III.

NICOLAUS MULDER die Lunae, hora X, die Martis, hora X et XII, *Historiam Animalium invertebratorum naturalem* docebit, *de Mineralogiae et Geologiae elementis* vero aget horis dein indicandis; diebus Veneris et Saturni, hora XI, *Anatomen animalium comparatam* tradet. *Exercitiis zoologicis* et *zootomicis practicis* quotidie praeerit.

GUILIELMUS ADRIANUS ENSCHEDÉ diebus Iovis et Saturni, hora IX, *Stereometriam* et *Trigonometriam sphaericam* docebit; selecta *Algebrae* capita exponet diebus Lunae et Martis, hora XI; *Geometriam analyticam*, *Calculum differentialem* et *integralem*, *Mechanicam analyticam*, *Astronomiae elementa* exponet horis commilitonibus commodis; *Exercitia mathematica* futurorum Praeceptorum moderabitur horis postea indicandis.

PETRUS IOHANNES VAN KERCKHOFF diebus Lunae et Martis, hora IX, die vero Mercurii, hora XII, *Chemiam anorganicam* docebit; diebus Mercurii, hora XI, et Saturni, hora X, *Chemiam corporum organicorum* exponet; diebus Lunae, hora XII, et Iovis, hora X, *Chemiam pharmaceuticam*

tradet; *Chemiae technologicae capita* in usum publicum explicabit diebus Lunae et Martis, hora pomeridiana VI; *Chemiam practicam* docebit et *Exercitia analytica* in Laboratorio moderabitur quotidie.

IN FACULTATE PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET LITTERARUM HUMANIORUM.

FREDERICUS CHRISTIANUS DE GREUVE diebus Lunae, Martis et Mercurii, hora XI, *Logicam* docebit; diebus autem Iovis, Veneris et Saturni, hora IX *Historiam Philosophiae antiquae* exponet; hora X *Metaphysicam* tradet; *Encyclopaediam*, *Ethicam*, aliamve *Philosophiae* partem hora auditoribus commoda explicabit. Cum provectioribus CARTESII *philosophiam* interpretabitur.

IACOBUS ADOLPHUS CAROLUS ROVERS *Historiam medii aevi* tradet diebus Martis, Mercurii et Iovis, hora IX; *Antiquitates Romanas*, die Lunae, hora IX, diebus Martis et Mercurii, hora X et die Iovis, hora VIII; *Antiquitates Atticas*, die Veneris, hora IX et die Saturni, hora VIII. *Disputandi exercitationibus* praeerit die Saturni, hora IX.

IOSUA IOANNES PHILIPPUS VALETON *Antiquitatem Hebraicam* explicabit diebus Lunae, Martis et Mercurii, hora X; *Libros* IOSUAE et IUDICUM interpretabiter diebus iisdem hora XI; *elementa Grammatices Hebraicae*, additis exercitiis analyticis, tradet die Iovis, hora XII et Veneris, hora IX et XII; *Grammaticam linguarum Semiticarum comparatam*, additis exercitiis analyticis Arabicis et Aramaeis, exponet diebus Iovis, Veneris, et Saturni, hora VIII; *Psalmos* selectos interpretabitur die Saturni, hora IX. Cum provectioribus KOSEGARTENII *Chrestomathiam* privatim leget die Lunae, hora IV, et *Chrestomathiam Kirschianam a* BERNSTEINIO *editam* eodem die, hora V.

IOANNES ADOLPHUS CAROLUS VAN HEUSDE diebus Iovis, Veneris et Saturni, hora X, CICERONIS *Laelium*, comparatis veterum philosophorum *de amicitia* sententiis, et HORATII *Satiras* et *Epistolas selectas;* iisdem diebus, hora I, PLUTARCHI *vitam Alexandri* explicabit; praeterea, iisdem diebus hora XI, privatim *Encyclopaediam studiorum, quae ad humanitatem pertinent*, exponet.

GUILIELMUS IOSEPHUS ANDREAS IONCKBLOET *Historiam Patriae politicam* explicabit diebus Iovis, Veneris et Saturni, hora XII; *Linguam Literasque Belgicas* explicabit et *Eloquentiae* praecepta tradet diebus Lunae, Martis et Mercurii, hora XII; *Exercitia practica* moderabitur die Martis, hora I; Fabulam mediobelgicam *Reinaert de Vos* interpretabitur et selectos VONDELII locos exponet diebus Lunae et Iovis, hora I. *Aestheticam* explicabit diebus Mercurii et Veneris, hora I.

IN FACULTATE THEOLOGICA.

PETRUS HOFSTEDE DE GROOT diebus Lunae, hora VIII, Martis, hora X, et Mercurii, hora VIII, *Historiam Ecclesiae Christianae*, secundum *Lineamenta* sua, typis divulgata, enarrabit; diebus Lunae, Mercurii et Veneris, hora X, *Dogmaticam et Apologeticam Christianam*, secundum *Compendium* a L. G. PAREAU et se editum, exponet; diebus Lunae et Mercurii, hora IX, et Martis, hora XI, *Theologiam Naturalem*, secundum *Compendium* a se editum, tradet; die Mercurii et Veneris hora I *Theologiam Biblicam* explicabit.

LUDOVICUS GERLACHUS PAREAU diebus Iovis et Veneris, hora XI, *Encyclopaediam Theologi Christiani*, secundum *Compendium* a P. HOFSTEDE DE GROOT et se editum, exponet; diebus Martis, Mercurii et Iovis, hora XII, secundum *Compendium* suum typis expressum, in *Theologiam Christianam moralem* inquiret; diebus Lunae atque Veneris, hora XII, et die Martis, hora I, loca nonnulla *Hermeneutices sacrae*, secundum *Compendium* suum typis editum, tractabit et quaedam *Carmina Hebraica* cum Commilitonibus interpretabitur; die Lunae, hora I, et Mercurii, hora XI, aget de *Critica et de Historia librorum Veteris Foederis.*

GUILIELMUS MUURLING die Lunae, hora XI, et die Iovis, hora I, enarrabit *Historiam librorum Novi Foederis;* diebus Martis, Iovis et Veneris, hora IX, *Epistolam* PAULI *ad Galatas* cum Commilitonibus interpretabitur; diebus Martis et Veneris, hora VIII, et die Iovis, hora X, *Theologiam Practicam* tradet; die Veneris, hora III, *exercitia Homiletica*, et die Saturni, hora XI, *exercitia* provectiorum *Catechetica*, cum pueris instituenda, moderabitur.

Disputationibus cum publicis tum privatis de *Locis Theologicis*, die Mercurii, hora III, suis vicibus praeerunt Theologiae Professores.

Guilielmus Hecker, Paedagogices Lector, diebus Lunae et Martis, hora I, Litterarum aliarumque disciplinarum studiosis *Paedagogices* elementa tradet, sive *de discendi docendique methodo* praecepta dabit. Exercitia oratoria moderabitur diebus Lunae et Martis, hora pomeridiana VI.

PROGRAMMA

CERTAMINIS LITTERARII

A

RECTORE ET SENATU ACADEMIAE GRONINGANAE

DIE XV MENSIS APRILIS ANNI CIƆIƆCCCLVI

INDICTI.

Ex Regis Augustissimi Guilielmi III liberalitate et munificentia, Rector et Senatus Academiae Groninganae omnes Academiarum huius Regni cives et Athenaeorum alumnos in proximum annum ad certamen Litterarium invitant, et quaestiones, a singulis Ordinibus Academicis positas, promulgant hasce:

AB ORDINE MEDICORUM.

Describatur modus, quo oriantur et evolvantur musculi striati et ratio histologica huius telae exponatur. Qua in re mutationes pathologicae respiciantur, quatenus ad illustrandam microscopicam istius telae investigationem conferant.

Qui quaestioni responsuri sint non solum consulant quae apud scriptores de hoc capite legantur, sed propriis quoque observationibus opinionem suam muniant.

(Ad quam quaestionem etiam patrio sermone respondere licet.)

AB ORDINE DISCIPLINARUM MATHEMATICARUM ET PHYSICARUM.

I.

Referantur ea, quae nostrae aetatis physici observaverunt de conductione caloris in crystallis, atque indicetur, quid ea contulerint ad perficiendam theoriam caloris.

II.

Conscribatur conspectus plenus et perspicuus eorum, quae chemia docuit de corporibus pinguibus, latiore vocabuli significatione, ita ut scriptorum opiniones de eorum compositione diiudicentur.

(Ad has quaestiones etiam patrio sermone respondere licet.)

AB ORDINE THEOLOGORUM.

Quanam ratione ac vi Iesus ecclesiam condidit? Num haec ecclesia ei erat vel finis, quem attingeret, vel alius finis attingendi via, vel utrumque?

AB ORDINE PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET LITTERARUM HUMANIORUM.

I.

Aesthetica instituatur disquisitio de operibus dramaticis GERBRANDI ADRIAENSZ BREDERODE.

(Ad quam quaestionem ut patrio sermone respondeatur requiritur.)

II.

Quaeritur, quo tempore Horatii *opera composita et a poeta edita sint. In quo ut certa aut probabilia ab incertis et dubiis distinguantur, primum, sepositis argumentis, quae e natura et compositione carminum petuntur, tempora constituantur illarum rerum, quarum in poeta simul et historicis veteribus clara mentio exstat. Tum transeatur ad singula carmina, quae temporis indicia habent, librorumque, in quos distributa fuerunt, primam editionem. Illa disquisitione quae demonstrata erunt per tabulam chronologicam uno in conspectu ponantur. Denique si quae vel ad Horatii poesin rite aestimandam vel ad versuum pangendorum artem sensim excultam hinc effici posse videantur qua fieri poterit brevissime explicentur.*

AB ORDINE IURECONSULTORUM.

I.

De origine *bonorum possessionis, et* universe *de huius* instituti, *dum vigebat ius honorarium,* progredientis *vi in adiuvando, supplendo, corrigendo iure hereditario praecipuae exponantur et diiudicentur recentiorum interpretum sententiae, maxime eorum, qui post* Gaii *Institutiones repertas hoc iuris Romani caput historice tractarunt.*

Ne nimium crescat disquirendi materies, Ordo excipit bona libertorum; *caeteras item quaestiones de iuribus singularibus, etsi cum instituto coniunctis, e. gr.* de collatione bonorum, de Carboniano Edicto, *similes; et vel ipsorum praesidiorum, quae bonorum possessoribus tribuit ius honorarium, eam tantum poscit brevem expositionem, qua prorsus vacare non possit disputatio de origine atque progressione instituti universe.*

II.

Capita VII, XI—XVII, XVIII—XXIII Germaniae, *a* Tacito *descriptae, ita explicentur, ut appareat, interpretem diligenter ad patriae quoque nostrae mores, instituta, iura attendisse.*

Commentationes, Latina oratione conscribendae, nisi diserte patrii sermonis usus concessus est, et aliena manu describendae, ante diem XV m. Aprilis a. MDCCCLVII mittuntor ad Virum Clarissimum, qui Senatus Academici acta curabit. Singulae lemmate inscribuntor adiunguntorque scidulae obsignatae, scriptorum nomina et praenomina integra continentes, eodemque lemmate extrinsecus distinctae.

Ordinum de Commentationibus iudicia pronuntiabuntur, optimarumque Commentationum scriptoribus, disquisitione ante instituta, praemia tribuentur ipso die Academiae natali a. MDCCCLVII.

NUMERUS STUDIOSORUM

IN ACADEMIA GRONINGANA

DIE XXXI M. DECEMBRIS A. MDCCCLV.

In Facultate		Medica	40.
〃	〃	Disc. Math. et Phys.	20.
〃	〃	Theologica	50.
〃	〃	Phil. Theor. et Litt. Hum.	39.
〃	〃	Iuridica	73.
			222.

DOCTORES CREATI

IN ACADEMIA GRONINGANA,

INDE A DIE XI OCTOBRIS MDCCCLV AD IX OCTOBRIS MDCCCLVI.

IN FACULTATE MEDICA.

1855.

d. 20 Oct. FREDERICUS HELDER, e pago Sybrandahuis Frisius, M. D., privatim defensis Thesibus Argumenti Obstetricii, A. O. D. *cum laude*.

d. 14 Dec. IOHANNES FREDERICUS PETRUS SCHÖNFELD, e pago Nietap Drenthinus, M. D., privatim defensis Thesibus Argumenti Obstetricii, A. O. D. *magna cum laude*.

d. 15 Dec. GOETHIUS STINSTRA, Harlinga Frisius, M. D., privatim defensis Thesibus Argumenti Obstetricii, A. O. D. *magna cum laude*.

1856.

d. 2 Febr. LUDOVICUS ADRIANUS ALTING MEES, Appingedamensis, M. D., privatim defensis Thesibus Argumenti Chirurgici, Ch. D. *magna cum laude*.

d. 13 Mart. TIDDO FOLMER REDDINGIUS, e pago Ten Boer Groninganus, privatim defensa Dissertatione vernacula lingua conscripta: *over de bestrijding en verdediging der koepokinenting en haar toestand in Nederland*. M. D.

Eodem die. IOHANNES LEONARDUS MULLER, e pago Uithuizen Groninganus, privatim defensa Dissertatione vernacula lingua conscripta: *over eenige oorzaken van plotselingen dood in het kraambed*, M. D.

d. 15 Mart. SIMON FREDERICUS COHEN, Groninganus, privatim defensa Dissertatione *exhibente quaedam de dentitione*, M. D.

d. 12 Apr. ABRAHAMUS THEODORUS FOLKERSMA, e pago Midlum Frisius, M. et A. O. D., defensis Thesibus Argumenti Chirurgici, Ch. D. *cum laude*.

d. 19 Apr. MATTHEUS VAN HEYNINGEN BUSCH KEISER, e pago Westerwytwerd Groninganus, M. D., defensis Thesibus Argumenti Obstetricii, A. O. D. *cum laude.*

d. 26 Apr. IOHANNES CHRISTOPHORUS SCHÖNFELD WICHERS, e pago de Leek Groninganus, M. D., defensis Thesibus Argumenti Obstetricii, A. O. D.

d. 15 Iun. SILVESTER ARNOLDUS LAMPING, e pago Dalen Drenthinus, M. D., defensis Thesibus Argumenti Obstetricii, A. O. D. *magna cum laude.*

d. 2 Iul. HENDRICUS WICHERS, e pago Middelstum Groninganus, defensa Dissertatione lingua vernacula conscripta sub titulo: *eenige opmerkingen omtrent de roodvonkepidemie in* 1855 *te Groningen*, M. D.

d. 24 Sept. LUDOVICUS ADRIANUS ALTING MEES, Appingedamensis, M. D., defensis Thesibus Argumenti Obstetricii, A. O. D. *cum laude.*

d. 4 Oct. SIMON FREDERICUS COHEN, Groninganus, M. D., defensis Thesibus Argumenti Obstetricii, A. O. D. *cum laude.*

IN FACULTATE DISCIPLINARUM PHYSICARUM ET MATHEMATICARUM.

1855.

d. 31 Oct. GIJSBERTUS VAN HENNEKELER, e pago Nykerk Gelrus, privatim defensa Dissertatione lingua vernacula conscripta: *over de primitieve wortels van de getallen en hunne toepassing op de decimale breuken*, M. M. Ph. N. D. *cum laude.*

1856.

d. 22 Maii. GERLOF DE IAGER MEESENBROEK, Groninganus, privatim defensa Dissertatione lingua vernacula conscripta sub titulo: *Geschiedkundig overzigt der verschillende methoden van welke men zich bediend heeft tot het meten van den electrischen stroom*, M. M. Ph. N. D.

IN FACULTATE PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET LITERARUM HUMANIORUM.

1856.

d. 28 Iun. IACOBUS DEODATUS HOMAN, e pago Kolderveen Drenthinus, publice defensa Dissertatione *de Iliadis Homericae compositione*, Ph. Th. M. L. H. D. *magna cum laude.*

IN FACULTATE IURIDICA.

1855.

d. 17 Oct. OTTO ERNESTUS GELDER VAN LIMBURG STIRUM, e pago Oudwalde Frisius, privatim defensis quaestionibus Iuris, I. R. et H. D.

d. 29 Oct. GUILIELMUS BAARTZ IR., Roterodamensis, privatim defensis quaestionibus Iuris, I. R. et H. D.

d. 31 Oct. GERHARDUS IACOBUS KEISER, Groninganus, privatim defensis quaestionibus Iuris, I. R. et H. D. *magna cum laude*.

d. 9 Nov. IANUS CASPARUS GUILIELMUS MERKUS, Indo-Batavus, privatim defensis quaestionibus Iuris, I. R. et H. D. *cum laude*.

d. 12 Nov. IACOBUS PETRUS NICOLAUS ERMERINS, Franequera Frisius, privatim defensis quaestionibus Iuris, I. R. et H. D. *cum laude*.

d. 11 Dec. SYBRANDUS VAN HAERSMA BUMA, Leovardia Frisius, privatim defensis quaestionibus Iuris, I. R. et H. D.

d. 19 Dec. DANIEL ADRIANUS SIXMA VAN HEEMSTRA, e pago Dronryp Frisius, privatim defensis quaestionibus Iuris, I. R. et H. D.

1856.

d. 23 Ian. GODERTUS GUILIELMUS ANDREAS VAN DER WYCK, Assena Drenthinus, privatim defensis quaestionibus Iuris, I. R. et H. D. *cum laude*.

Eodem die. LUCAS IACOBUS VAN RIEMSDIJK, ex oppido Hardenbergh Transisalanus, privatim defensis quaestionibus Iuris, I. R. et H. D. *cum laude*.

d. 14 Feb. IOANNUS ARIUS BAART DE LA FAILLE, Groninganus, privatim defensis quaestionibus Iuris, I. R. et H. D.

d. 29 Feb. ONCKO VAN SWINDEREN, e pago Balk Frisius, privatim defensis quaestionibus Iuris, I. R. et H. D. *cum laude*.

d. 14 Maii. ANTONIUS EWOUD IANUS NYSINGH, Assena Drenthinus, privatim defensis quaestionibus Iuris, I. R. et H. D. *cum laude*.

d. 11 Iun. ALBERTUS WILHELMUS HOETH, Groninganus, privatim defensis quaestionibus Iuris, I. R. et H. D. *cum laude*.

d. 26 Iun. IOHAN LOHMAN, Groninganus, privatim defensis quaestionibus Iuris, I. R. et H. D. *cum laude*.

d. 3 Oct. PETRUS SLOT, Meppela Drenthinus, privatim defensis quaestionibus Iuris, I. R. et H. D. *cum laude*.

ATHENAEUM ILLUSTRE

AMSTELODAMENSE.

NOMINA PROFESSORUM,

QUI

IN ILLUSTRI ATHENAEO AMSTELODAMENSI CONIUNCTISQUE CUM EO SEMINARIIS

INDE A KAL. IAN. AD D. XXXI M. DEC. MDCCCLV

DOCENDI MUNUS OBIERUNT.

IURISPRUDENTIAE.

M. DES AMORIE VAN DER HOEVEN, Clar. Ord. Praeses a. 1855—1856.
H. DE BOSCH KEMPER.

PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET LITERARUM HUMANIORUM.

I. BOSSCHA, Prof. emeritus.
H. BEYERMAN.
P. I. VETH.
I. C. G. BOOT.

MEDICINAE.

GER. VROLIK.
GUIL. VROLIK.
C. B. TILANUS, Prof. honorarius.
P. H. SURINGAR, Prof. honorarius.
I. VAN GEUNS, Prof. extraordinarius.
G. E. VOORHELM SCHNEEVOOGT, Prof. extraordinarius.

DISCIPLINARUM MATHEMATICARUM ET PHYSICARUM.

F. A. G. MIQUEL.
C. I. MATTHES.
E. H. VON BAUMHAUER.

THEOLOGIAE.

G. MOLL.
H. C. MILLIES, F. I. DOMELA NIEUWENHUIS, } Proff. in Semin. Luther.
S. MULLER, I. VAN GILSE, } Proff. in Semin. Teleiobapt.
A. DES AMORIE VAN DER HOEVEN, Prof. in Semin. Remonstr.

ACTA ET GESTA

IN CONVENTIBUS CLARISSIMI ORDINIS PROFESSORUM

ATHENAEI ILLUSTRIS AMSTELODAMENSIS,

ANNO MDCCCLV.

Die 15 m. Iunii recitantur literae Curatorum diei 13 Martis quibus Ordo certior factus est Virum Ampl. C. H. B. Boot, quum kal. Februariis urbis consulatum susciperet, e collegio Curatorum discessisse, in eiusque locum creatum esse Virum Ampl. M. Wiardi Beckman.

Die 2 m. Octobris Ordo convenit ad audiendam orationem, qua in auditorio illo Athenaei Vir Cl. F. I. Domela Nieuwenhuis, Theol. Professor in Seminario Lutherano memoriam recoluit viri disertissimi Abr. des Amorie van der Hoeven, Professoris Theologiae in Seminario Remonstrantium, multisque nominibus de Athenaeo bene meriti.

SERIES LECTIONUM

IN ILLUSTRI ATHENAEO AMSTELODAMENSI ET IN SEMINARIIS

HABENDARUM INDE A DIE I M. OCT. A. MDCCCLV AD FERIAS AESTIVAS A. MDCCCLVI.

MARTINUS DES AMORIE VAN DER HOEVEN

privatim *Digestorum* selecta capita tractabit, diebus Martis, Mercurii, Iovis et Veneris hora IX matutina;

Institutiones Imp. Iustiniani interpretabitur, iisdem diebus, hora X;

Historiam Iuris Romani enarrabit, iisdem diebus, hora XI;

Ius civile Hollandicum docebit, iisdem diebus, hora XII;

Ius Mercatorium docebit, iisdem diebus, hora p. mer. I.

HIERONYMUS DE BOSCH KEMPER

privatim tradet *Philosophiam Iuris*, diebus Martis, Mercurii et Iovis, hora IX;

Ius Criminale, iisdem diebus, hora X;

Initia Oeconomiae politicae, diebus Martis et Iovis, hora XI;

Historiam politicam Europae, diebus Mercurii et Veneris, hora XI,

IOANNES BOSSCHA

Litterarum et *Historiae* studia quovis alio modo quam lectionibus habendis promovere studebit.

HUGO BEYERMAN

privatim *Rhetoricen* sive praecepta stili Belgici, additis belgice scribendi exercitationibus, tradet die Lunae hora X—XII et die Saturni hora IX—XI;

Historiam Patriae enarrabit, die Lunae hora XII—II et die Saturni, hora XI—I;

Pronuntiationis sive *eloquentiae exterioris* exercitia moderabitur.

PETRUS IOANNES VETH

privatim docebit *Exegesin Veteris Foederis*, interpretandis Michae vaticiniis, diebus Martis et Mercurii, hora VIII matutina;

Grammaticae Arabicae elementa, diebus Iovis et Veneris, hora VIII;

Antiquitates Hebraeas, diebus Martis, Mercurii, Iovis et Veneris, hora IX;

Grammaticam Hebraeam, adiuncta librorum Deuteronomii et Iosuae lectione, iisdem diebus, hora X;

Logicam tradet, diebus Lunae et Saturni, hora VIII, et *Metaphysicam*, die Lunae, hora IX;

Cum provectioribus leget *Corani capita selecta* et *Kirschii Chrestom. Syriacam, a Bernsteinio* denuo editam, alternis vicibus, die Veneris, hora VI—VIII post meridiem.

IOANNES CORNELIUS GERARDUS BOOT

privatim *Antiquitates Romanas* explicabit, diebus Martis, Mercurii, Iovis, Veneris, hora XII;

Scholas Latinas habebit in iisque enarrabit *Ciceronis Orationes pro Murena* et *pro Milone;* tum *Vergilii Aeneidos librum VI*, iisdem diebus, hora I;

Literas Graecas docebit commentans *Plutarchi Periclem*, *Euripidis Medeam*, capita selecta ex *Herodoti Musis*, iisdem diebus, hora II.

GERARDUS VROLIK

privatim docebit *Obstetriciam theoreticam*, diebus Mercurii et Veneris, hora II.

GUILIELMUS VROLIK

privatim *demonstrationes anatomicas* habebit, tempore hiemali, diebus Lunae, Martis, Mercurii, Iovis et Veneris, hora p. m. I;
docebit tempore vernali *Zootomiam*, diebus Iovis, Veneris et Saturni, hora matutina X;
Osteologiam, tempore autumnali, iisdem diebus et horis;
Histrilogiam et *Physiologiam*, iisdem diebus, hora IX et XI;
Methodum secandi, tempore hiemali quotidie.

CHRISTIANUS BERNARDUS TILANUS

privatim docebit *Pathologiam* et *Therapiam Chirurgicam*, ter quavis hebdomade, hora XII;
Artem obstetriciam, tribus reliquis diebus, hora XII;
Examini aegrotantium et *artis exercitio* in Nosocomio Scholae Clinicae praeerit diebus singulis, hora IX;
Enchireses medicas in cadavere demonstrabit, diebus et horis indicandis.

PETRUS HENRICUS SURINGAR

privatim *Pathologiam* et *Therapiam generalem* docebit, diebus Martis, Mercurii et Iovis, hora p. m. II;
Doctrinam morborum singularium interpretabitur, iisdem diebus, hora p. m. I;
Praxin medicam ad lectulos aegrotantium moderabitur, diebus singulis, hora matutina VIII.

IOANNES VAN GEUNS

privatim *Pathologiam generalem* docebit diebus Lunae, Martis, Mercurii et Iovis, hora X;
Morborum signa indagandi methodum exponet, una cum exercitationibus clinicis, quotidie, hora XI—I;
Medicinam forensem tradet bis quavis hebdomade.

GUSTAVUS EDUARDUS VOORHELM SCHNEEVOOGT

privatim *Neuropathologiam* docebit et ad lectulos aegrotantium exponet, die Saturni, hora XI—I;
Elementa psychiatriae exponet hora dein indicanda.

FREDERICUS ANTONIUS GUILIELMUS MIQUEL

privatim tradet *Geologiae et Palaeontologiae fundamenta*, horis deinde indicandis;
Pharmacologiam generalem et specialem, diebus Lunae, Martis, Mercurii et Iovis, hora XI;
Botanices Elementa, iisdem diebus, hora X;
Stirpium medicinalium, venenatarum et oeconomicarum historiam ter per dierum hebdomadem;
Excursionibus botanicis praeerit;
Vegetabilia cryptogamiça et *Oeconomiae ruralis elementa* explicare paratus erit.

CAROLUS IOANNES MATTHES

privatim docebit *Planimetriam* et *Trigonometriam rectilineam*, diebus Martis, Mercurii, Iovis et Veneris, hora IX matutina;
Physieam experimentis illustratam, iisdem diebus, hora XI;
Stereometriam, inclusa *Trigonometria sphaerica*, in commodum Medicinae et Literarum studiosorum, diebus Iovis et Veneris, hora I;
Calculi differentialis et integralis elementa, horis cum auditoribus constituendis.

EDUARDUS HENRICUS VON BAUMHAUER

privatim *Chemiam anorganicam* docebit, die Lunae, hora XII—II et diebus Martis et Mercurii, hora XII;

Chemiam organicam et Physiologicam, diebus Martis et Mercurii, hora IX et hora I;

Venena et falsificationes indagandi methodum exponet die Lunae hora IX—XII.

Chemiam analyticam docebit diebus Lunae, Mercurii et Veneris, hora II—IV.

GUILIELMUS MOLL

privatim tradet *Exegesin Novi Foederis*, interpretanda *epistola Pauli Apost. ad Galatas*, diebus Martis et Mercurii, hora X;

Historiam universalem Religionis et Ecclesiae Chr., diebus Martis, Mercurii, Iovis et Veneris, hora XI;

Theologiam dogmaticam, iisdem diebus, hora IX;

Studia ad *Introductionem in Theologiam* et ad *Historiam Ecclesiae Neerlandiae* pertinentia, et *Exercitationes Homileticas* moderabitur diebus et horis vespertinis deinceps indicandis.

FERDIN. IACOB. DOMELA NIEUWENHUIS,
Theol. Professor in Sem. Evangel.-Luther.

Theologiam pastoralem tradet, die Martis, hora X;

Historiam Philosophiae de Deo et religione, diebus Mercurii, Iovis et Veneris, hora X;

Euangelium Lucae explicabit, diebus Martis, Mercurii, Iovis et Veneris, hora IX;

Historiam Ecclesiae Lutheranae in nostra patria enarrabit, horis sibi et auditoribus commodis.

Exercitiis Oratoriis vacabit die Iovis hora III, *Catecheticis*, die Martis, hora XI—I, *Colloquio homiletico*, die Martis, hora VI—VIII p. m.

Discipulis provectioribus Orationes sacras habentibus praeses aderit die Veneris, hora II.

HENRICUS CHRISTIANUS MILLIES,
Theol. Professor in Sem. Evangel.-Luther.

Encyclopaediam et Methodologiam Theologicam tradet, diebus Martis, Mercurii et Iovis, hora XII;

Exegesin Veteris Foederis docebit, interpretando vaticinia quaedam e libro Prophetarum Minorum, diebus Martis et Mercurii, hora XI;

Exegesin Novi Foederis docebit, interpretanda Priore Pauli ad Thessalonicenses Epistola, diebus Iovis et Veneris, hora XI;

Theologiam Christianam Dogmaticam exponet, diebus Martis, Mercurii et Iovis, hora I;

Historiam Ecclesiae Christianae enarrabit, die Veneris, hora XII—II;

SAMUEL MULLER,
Theol. Professor in Sem. Teleiobapt.

Lectiones de Theologia Christiana dogmatica habebit, diebus Martis, Mercurii, Iovis et Veneris, hora IX;

Officia antistitum in ecclesia Christiana, sive *Theologiam pastoralem*, tradet die Iovis, hora X;

Exercitationes homileticas moderabitur, die Veneris, hora X—XII;

Exercitiis oratoriis vacabit, die Lunae, hora III—IV.

Studiosis, orationes sacras habentibus, praeses aderit, die Lunae, hora II dim.

IANUS VAN GILSE,
Theol. Professor in Sem. Teleiobapt.

Exegesin Veteris Testamenti tradet explicandis nonnullis capitibus ex Ezechiëlis vaticiniis selectis, diebus Martis et Mercurii, hora I;

Exegesin Novi Testamenti explicando Marci Euangelio, diebus Iovis et Veneris, hora I;

Introductionis, quam dicunt, *in libros N. Foederis* partem alteram, diebus Martis et Mercurii, hora II;

Historiam Ecclesiae mediam, inde a Caroli Magni aetate ad instaurata Sacra, saec. XVI, diebus Martis, Mercurii et Iovis, hora XII.

Historiam Israëlitarum enarrare perget, die Veneris, hora III.

Doctrinam morum Christianam tradet, die Iovis, horis II ac III et die Veneris, hora II.

ABRAHAMUS DES AMORIE VAN DER HOEVEN,
Theol. Professor in Sem. Remonstr.

Theologiam Christianam Dogmaticam tradet diebus Martis, Mercurii, Iovis et Veneris, hora IX—X;

Homileticam tradet, diebus Martis et Mercurii, hora X—XI;

Historiam Eloquentiae Sacrae enarrabit, die Mercurii, hora III—IV;

Exercitia Oratoria moderabitur, die Martis, hora III;

Commilitonibus Orationes sacras habentibus praeses aderit, die Martis, hora II;

Commilitonum studia promovere conabitur, horis vespertinis deinde indicandis.

NUMERUS STUDIOSORUM

IN ILLUSTRI ATHENAEO AMSTELODAMENSI CONIUNCTISQUE CUM EO SEMINARIIS

DIE XXXI DECEMBRIS MDCCCLV.

In	facultate	Theologiae	78.
"	"	Iurisprudentiae	50.
"	"	Literarum	3.
"	"	Medicinae	21.
"	"	Philosophiae	3.
			155.

ATHENAEUM

DAVENTRIENSE.

37

NOMINA PROFESSORUM ET LECTORIS

QUI

A. D. XVI FEBR. MDCCCLV A. D. XVI FEBR. MDCCCLVI

DOCENDI MUNUS OBIERUNT

IN ILLUSTRI ATHENAEO DAVENTRIENSI.

V. S. M. VAN DER WILLIGEN, Mathes. et Phys. Prof., h. t. Rector Magn.
I. VERBURG, Theol. et Doctrin. Moralis Prof. honorarius.
P. BOSSCHA, Litt. Antiq. Prof. honorarius.
I. DUYMAER VAN TWIST, Iur. Prof.
M. I. COP, Chemiae Prof.
I. VAN VLOTEN, Litt. Belg. et Hist. Patriae Prof.
L. MULDER, Botan., Geol. et Oecon. ruralis Prof.
E. I. KIEHL, Litt. Antiq. Prof.

S. SUSAN, Litt. Hod. Lector.

ORDO LECTIONUM

HABENDARUM

IN ILLUSTRI DAVENTRIAE ATHENAEO,

A. D. XVIII M. SEPT. A. MDCCCLV USQUE AD FERIAS AESTIVAS A. MDCCCLVI.

RECTORE MAGN. V. S. M. VAN DER WILLIGEN.

V. S. M. VAN DER WILLIGEN, *Math. Mag. Phil. Nat. Doct. Matheseos et Physices Professor*, h. t. *Rector Magnificus*, Elementa Geometriae docebit diebus Martis, Mercurii et Veneris, hora matutina . . . . VIII.

Arithmeticam universalem, diebus Mercurii, hora . . . . . IX.

Iovis, hora . . . . VIII.

Veneris, hora . . . . IX.

Physicam experimentalem diebus Martis, Mercurii, Iovis et Veneris, hora post meridiem . . . . I.

Mechanicam analyticam diebus Lunae et Iovis, hora vespertina VII.

Geometriam descriptivam et analyticam diebus Martis et Iovis, hora . . . . IX.

Mechanicam, quam applicatam vocant, die Veneris, hora . X.

Publicas quasdam habebit lectiones de electro-magnetismo eiusque applicationibus die Saturni, hora vespertina . . . VIII.
quas autem inchoabit die postea indicanda.

IACOBUS VERBURG, *Theol. Doct. Litteraturae Orientalis, Theologiae et Doctrinae Moralis Professor honorarius*, cui tamen speciatim adhuc Linguae et Antiquitatis Hebraeae institutio demandata est, initia Linguae Hebraeae tradet diebus Martis, Mercurii et Iovis, hora . . . . X.

Provectioribus vero discipulis varia monumentorum Hebraeorum specimina, se duce, tractanda exhibebit diebus Martis et Mercurii, hora . . . . XI.

P. Bosscha, *Phil. Theor. Mag. Litt. Hum. et Iur. Utriusq. Doct. Prof. honorar.*, Historiam recentiorem explicabit, aut aliquam veterum literarum partem tractabit horis cum auditoribus conveniendis.

Praeterea historiam Europae inde a morte Gulielmi III, Brittanniae regis, usque ad pacem Aquisgraniensem tradet lingua vernacula, lectionibus in Auditorio publice habendis, tempore postea indicando.

I. Duymaer van Twist, *Iur. Rom. et Hodierni Doctor, Iur. Professor*, Institutiones Iustinianeas explicabit diebus Lunae, Martis, Mercurii et Iovis, hora . . . . X.

Historiam Iuris Romani tradet diebus Lunae, Martis, Mercurii et Iovis, hora . . . . XI.

Encyclopaediam iuris docebit diebus Lunae et Iovis hora . . IX.

Ius Naturae exponet diebus Martis, hora . . . . IX.

et Veneris . . . . X.

Oeconomiae politicae principia tradet diebus Lunae et Mercurii, hora . . . . XII.

Selecta iuris mercatorii capita exponet hora auditoribus sibique commoda.

M. I. Cop, *Math. Mag. Phil. Nat. Doct.*, *Chemiae Professor*, Chemiam corporum anorganicorum docebit die Lunae, ante ferias hibernas, hora . . . . XI.

deinde vero, hora . . . . IX.

diebus Martis et Iovis, hora . . . . IX.

Chemiam corporum organicorumtr adet diebus Lunae, Martis et Iovis, hora . . . . X.

De arte pharmaceutica disseret die Mercurii, hora . . . . . IX.

Technologiam chemicam tractabit, diebus et horis auditoribus commodis.

Chemiam physiologicam aut Chemiae forensis capita selecta tradere paratus est.

Chemiam analyticam docens quotidie exercitia moderabitur in laboratorio, ubi experientibus praesto erit G. I. IACOBSON, A. B. fil.

Provectiorum colloquiis pharmaceuticis praeerit hora dein constituenda.

I. VAN VLOTEN, *Theol. Doct.*, *Litt. Belg. et Hist. Patriae Professor*, Historiam patriae inde a pacificatione Gandavensi ad pacem Monasteriensem tradet diebus Martis, Mercurii et Iovis, hora XI.

Adhibitis: A. BORGNET, De Nederlanden onder FILIPS II, Amst. 1851, *et* L. G. Visscher, Leiddraad tot de algemeene geschiedenis van het Vaderland, II.

Grammaticam Gothicam, linguamque et litteras Belgicas, praecepta stili bene Belgici docebit diebus Lunae, horis XI et XII.
diebus Martis, Mercurii et Iovis, hora . . . . XII.

Adhibitis: Dr. A. HAHN, Auswahl aus Ulfilas Gothischer Bibel-Uebersetzung etc., Heidelberg, Mohr. 1849; Dr. W. G. BRILL, Nederl. Spraakleer, *tweede druk*, Leid., E. J. BRILL 1854; Nederl. Prozastukken van 1229—1476, Amst., GEBHARD 1851; W. HOFDIJK, Geschiedenis der Nederl. Letterkunde, 2de stuk, Amst. 1854; J. A. ALBERDINGK THIJM, Gedichten uit de verschillende tijdperken der Nederl. Litteratuur, tweede bundel, (17de eeuw), Amst. 1852; LULOFS Kakographie, Groningen, OOMKENS 1840.

Logicam docebit die Lunae, horis . . . . I et II.

Adhibito compendio cui titulus: Elementa Logices Aristotelicae in usum scholarum ed. Trendelenburg, ed. tertia, Berolini Bethge 1845.

Aestheticam explicabit hora postea indicanda *adhibito* ARISTOTELIS de Poëtica *dicto libello.*

Publicas argumenti cuiusdam literario-historici lectiones habebit die postea indicanda.

L. MULDER, *Math. Mag. Phil. Nat. Doct.*, *Botanices, Geologiae et Oeconomiae ruralis Professor*, Botanicen physiologicam docebit die Martis, hora . . . . XI.
et Mercurii, hora . . . . X.

provectioribus discipulis die Iovis, hora . . . . XI.
Botanicen systematicam, die Martis, hora . . . . XII.
et Mercurii, hora . . . . XI.
provectioribus commilitonibus die Iovis, hora . . . . XII.
tempore aestivo iisdem diebus, hora matutina . . . . . . VII.
Favente coeli temperie, cum discipulis excursiones botanicas moderabitur.
Pharmacognosin diebus Martis, Mercurii et Iovis, hora . . VIII.
provectioribus exponere perget die Veneris, hora . . . . VIII et IX.
Geologiam die Veneris, hora . . . . X et XI.
Oeconomiam ruralem diebus Mercurii et Veneris, hora . . . XII.
Artem mercium dignoscendarum bis per dierum hebdomadem, horis et diebus auditoribus commodis.

E. I. Kiehl, *Phil. Theor. Mag. Litt. Hum. Doct.*, *Litterarum Antiquarum Professor*, Xenophontis Hellenicorum interpretabitur libros priores duos, diebus Lunae, Martis, Mercurii, Iovis et Veneris, hora . . . . VIII.
ante ferias brumales autem diebus Lunae, hora . . . . . XI.
et Martis, hora . . . . X.
Ciceronis in Verrem actionem priorem, et alterius libros IV et V, diebus iisdem quinque, hora . . . . IX.
ante ferias brumales die Lunae, horis . . . . VIII et IX.
Antiquitates Romanas tradet diebus iisdem quinque, hora X.
ante ferias brumales diebus Mercurii et Iovis, hora . . . X.
Historiae veteris capita selecta, bella Persicum, Peloponnesiacum, Punica, historiam Romanam a L. Sylla dictatore ad proelium Actiacum, iisdem diebus quinque, hora . . XI.
ante ferias brumales diebus iisdem duobus, hora . . . . XI.
Provectioribus interpretabitur, ante ferias brumales, Livii libros XXI et XXII, die Lunae, hora . . . . X.
et Martis, hora . . . . IX.
et Aeschyli Persas, diebus Mercurii et Iovis, hora . . . . IX.
Colloquia Latina moderabitur, octavo quoque die, hora auditoribus commoda.

S. SUSAN, *Litterarum Hodiernarum Lector*, Athenaei civium, qui Litteras Germanicas, Anglicas, Italicas et Gallicas sibi tradi cupient, desiderio lubens satisfaciet. Idem cum auditoribus de comoedia anglica, *the Tempest of William Shakespeare* inscripta, ad ductum editionis, quam curavit, disseret.

Disciplinae mathematicae et physicae, litterae Belgicae et historia patriae, omnesque doctrinae, quae alumnis Athenaei linguae Latinae non peritis utiles esse possunt, sermone traduntur vernaculo.

Bibliotheca Athenaei unicuique patebit die Mercurii, horis . . . I—IV.
et Saturni, horis . . . . XI—II.
feriarum autem tempore die Saturni, horis . . . . II—IV.

Laboratorium chemicum et museum physicum inspici possunt quotidie, exceptis horis quibus habeantur lectiones.



